l. q. 19. Tabjena Absol. 1. num. ult. Armilla verb. Absol. n. 30. Lud. Lop. 1. p. instr. n. 38. Iteranda est confessio.

58 II. Tamen conclusio sit, probabilius est, dum privatio, & hominis inhibitio est occulta, adhuc valere gesta, concurrenti communi errore. Quia (ut ait *Bald. l. 1. num. 12. C. de testam.*) quædam reliquiæ remanserunt: ut notatur *l. Si pluribus, ff. de auctor. tuto.* Item quia est error communis ortus a justo tituli initio. Sic *Bol. l. Barbarius, in 1 lectura, n. 30. ff. de off. prætor & ibi Jas. n. 68. idem Bald. l. 2. n. 8. C. de sent. & interlog. & l. 2. n. 66. C. de sev. vut. & aqua, & l. 1. n. 12. C. de testam.* ubi *Cornel. num. 14. Mascard. de probatio. concl. 649. nu. 67.* Et ex Theologis tenet *Enriquez l. 6. de pœn. c. 6. n. 2. in comm. lit. E.* ubi ait non satis esse, ut confessio valeat, errorem pœnitentis, aut vulgi, nisi concurrat titulus coloratus, ut quia aliquis habetur parochus, vel quia prius approbatus fuerat ab Episcopo, nec scitur postea eum revocatum esse. Et *n. 3.* ubi ait facerdotem ad annum approbatum, elapso anno non reputari idoneum, & approbatum: & addit *in commento, litt. I.* Si communi errore vulgi censeretur adhuc approbatus, valere absolutionem. Et *c. 7. n. 2. in comment. lit. G.* ubi inquit valere absolutionem, si quis per bullam, quæ in eo oppido ignoratur revocata, eligat Confessorem. Et melius *lib. 5. de pœn. c. 14. n. 4.* ubi ait, dum ignoratur an Pontifex revocarit gratiam bullarum, aut Episcopus licentiam, qua approbavit quosdam idoneos, valere confessiones virtute bullæ, aut talis licentiæ factas. Idem docet *Manuel 1. tom. sum. 2. editione, c. 60. num. 3.* ubi ait, valere confessiones religiosis semel approbatis factas, licet occulte privati sint facultate audiendi confessiones.

59 Ad argum. prioris sent. proposita n. 55. respondetur. Ad 1. neganda est ea doctrina, dicendumque eli, aliud esse, quando ipse solus delegatus mortem ignorat, tunc enim verum est, non valere gesta per ipsum, si res erat integra, quia perit ejus potestas: aliud autem, quando est communis error, & probabilis ignorantia mortis, tunc enim valent gesta, propter *l. Barbarius, ff. de off. prætor.* sive delegatus sciat mortem, sive ignoret. Quia concurrit communis error, & titulus a legitimo superiore collatus, ejusque extinctio est occulta, & ita doctrinam illam negant, *Alberic. l. Si forte, in ff. de officio præsidis, Ubertin.* & alii teste *Speculatore tit. de judice deleg. §. Restat videre, n. 5.* Præterea, quia magis pendet potestas vicarii ab Episcopo quam delegati a delegante: nam hæc non perit morte, nec suspenditur excommunicatione, re non integra: cujus contrarium est in vicario: & tamen mortuo Episcopo in longinquis, si vicarius ignorans mortem, ex speciali mandato admittat resignationem beneficii, valet: ut decidit *Rota*, quem refert, & sequitur *Flaminius de resignatione bene. l. 7. q. 24. n. 33. Anast. Germ. de induit. §. Tibi quoad vixeris, n. 63. Jac. Sbrozius l. 3. de vicario Episc. q. 36. n. 9. fi. & 10.* Idem tenent *Enriq.* in alio simili, *l. 6. de pœn. c. 13. n. 3. in comm. lit. A.* ubi ait, quamvis mortuo Episcopo potestas vicarii expiret, at si vicarius incertus de morte Episcopi longe distantis, concedat litteras dimissorias, ad ordines valere: quia habetur ut legitimus vicarius, & dicit sic tenuisse viros doctos consiliros; & idem *Enr. l. 10. de sacram. ordin. n. 22. n. 3. in commento, lit. P.* ait valere eas litteras dimissorias, licet poltea re integra, sciatur mortem Episcopi præcessisse. Et quamvis hi DD. tantum explicent, quando vicarius ignorat mortem: at manifeste non faciunt vim in privata vicarii ignorantia, sed in communi, & justa, si quidem ponderant, Episcopum longe distare: & *Flaminius* assignans rationem, ait ob communem utilitatem & communem errorem, per *l. Barbarius, & Enriq.* reddit rationem, quia habetur ut legitimus vicarius: & pondero vicarium in acceptatione resignationis esse delegatum, & sic inquiunt illi DD. si speciali mandato, &c. quare manifeste sentiunt gesta per delegatum, post mortem delegantis, re integra, communiter ignoratam, valere. Nec refert, sive vicarius sciat mortem, sive ignoret: quia ut valeant gesta, per *l. Barbarius*, non attenditur ignorantia privata, sed communis, ut dixi *n. 6. & 7.* Idem dicendum est, quando revocatus est vicarius ab ipso Episcopo, valent enim gesta, dum revocatus est communis error, sive ipse sciat, sive ignoret revocationem, juxta tradita n. præcedenti. Quid autem dicendum sit, si revocatio vicarii fit communiter nota, non tamen sit intimata ipsi vicario: dicam hoc 3. l. disp. 30. n. 11. 12. & 13. Ad 2. dic illam doctrinam nullo jure probari, nam cum *d. l. Barbarius*, habeat etiam locum in delegato, ut probavi n. 16. dum communiter revocatio delegati ignoratur, idem de illo, ac de Ordinario dicendum est, nempe valere gesta per illum: atque ita n. 58. retulia liquos DD. hoc tatentes in delegato. Ad 3. respondi n. 24. fine. Ad ultimum dic non esse simile; quia manent aliquæ reliquiæ, ut notavi n. 58. ex Baldo: quare ille non dicitur proprie intrusus, sed quando a principio caruit legitimo titulo.

SUMMARIUM.

Matrimonium contractum coram parocho intruso, non habenti titulum a legitimo superiore, non valet: secus si titulum habeat invalidum ob vitium occultum, n. 60.

Quid, si contrahentibus notum sit, illum non esse verum parochum, n. 61. Et ibi, quid, si laicus communi errore existimatus sacerdos, assistat matrimonio, de licentia parochi. Et quid, si parochus intrusus communi errore legitimus existimatus, det sacerdoti licentiam assistendi matrimonio. Et quid, si occulte revocavit licentiam.

Quid, si parochus eo ipso amiserat beneficium: ut quia non esi promotus intra annum, vel quia recepit incompatibile beneficium, 62.

Quid, de quodam qui a concilio oppidano substitutus est vice parochi absentis, & biennio ministerium parochi obivit, credituis communi errore verus parochus, 63.

Quid, si licentia assistendi matrimonio, vel audiendi confessiones concedatur a legitimo superiore, sed ficte, vel sit talis ratihabitio de præsenti, ut communi sapientum opinione, legitima licentia existimetur, verum superiori re vera consensit, 64.

Quid, si sint opiniones, an aliquis sit legitimus parochus, ad assistendum matrimonio, vel audiendas confessiones: vel aliqua licentia sit legitima, vel privilegium bullæ sit revocatum, vel extendatur ad illum casum: & opinio negans sit coram Deo vera: an dum ea veritas latet, & probabili sapientum opinione habetur esse legitimum parochum, vel legitimam licentiam, vel privilegium bullæ non esse revocatum, vel extendi ad illum casum, valeant confessiones, & matrimonia, 65.

QUæstio VII. An matr. contractum coram parocho habente possessionem parochiæ, absque vero titulo, stante communi errore, validum sit? Breviter, ut constat ex dictis, si absque titulo collato a legitimo superiore intrusus est, non valet matr. quia in neutro foro valent gesta per illum: ut probavi n. 49. & 50. si autem titulum habuit a legitimo superiore, invalidum tamen ob vitium occultum, valet matr. Quia dum adest communis illa ignorantia, veram parochi in utroque foro jurisdictionem habet: ut probavi n. 5. & 13. Sic *Enriq. l. 1. de matr. c. 3. & 4. Manuel 1. tom. summæ, 2. edit. c. 219. n. 8.* 60

Et hoc quidem verum est, quamvis contrahentibus notum sit illum vero parochi titulo carere: quia (ut dixi n. 42.) etiam respectu scientium tituli nullitatem, valent gesta dum adest communis error. Valet etiam matr. licet, is cui concedit parochus licentiam assistendi matr. sit merus laicus, si communi æstimatione, & errore credebatur sacerdos, pro tali publice se gerens. Quia quamvis parochus non possit dare licentiam non sacerdoti (ut dixi hoc 1. 3. disp. 20. n. 10.) at concurrit titulus præsumptus, scilicet, licentia, & a superiore potenti concedere data, estque communis error, & impedimentum, ob quod invalida, fuit, est solus juris humani: in quo casu jus supplet defectum, & gesta per talem valida sunt (ut diximus n. 27. & seq.) Sicut si Trid. disponeret, ut soli sacerdoti catholico posset dari licentia assistendi matr. valeret utique, si assisteret sacerdos hæreticus, communi errore existimatus catholicus, ex licentia parochi: quia vitium illud ob quod licentia nulla fuerit, erat solius juris humani, communiterque latebat. Et quamvis hic, cui concedit licentia, sit delegatus, nec publicum officium obeat, nihil confert: quia n. 16. probavimus etiam in delegato locum habere, & n. 39. procedere etiam in eo qui publico officio minime fungitur. Si autem parochus qui licentiam dedit, sit intrusus, licet intrusio esset communiter incognita, matr. est nullum: quia ille intrusus omni prorsus caret jurisdictione (ut dixi nu. 51.) nec valide poterat assistere matr. (ut dixi n. præc.) quare licentia illa non est concessa a legitimo superiore. Valet autem matr. si parochus ille concedens licentiam, haberet titulum præsumptum, collarum a legitimo superiore, invalidum tamen ob vitium occultum: quia (ut dixi n. præc.) talis parochus, dum tituli nullitas communiter latet, valde gerit omnia ad parochi munus spectantia. Similiter valeret matr. si licentiam legitime concessam, occulte revocasset, stante communi revocationis errore, quia retineret adhuc licentiam ob titulum initio habitum, & communem errorem, ut dixi n. 58. 61

Hinc 1. Infertur, quamvis parochus eo ipso beneficium amiserit, ut quia intra annum non est ad sacerdotium promotus, vel aliud incompatibile beneficium adeptus est: si matr. assistat, vel alius facerdos de ejus licentia, validum esse. Quia quamvis ipso facto privatus titulo sit, at nondum possessione spoliatus est, & quando illa non spoliatur, præsumitur habere justam retinendi causam, *c. Licet Episcopus, in fi. de præb. in 6.* & idem esser dicendum, licet privatio tituli fuerit per sententiam hominis: Et constat utraque pars ex dictis n. 56. & 58. & priorem partem docent *Enriq. l. 11. matr. c. 3. n. 4. in comment. lit. I.* ubi alios refert: & *Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 219. n. 8.* 62

2. Infertur decisio cujusdam quæstionis conscientiæ, de qua consultus fum. In oppido quodam adfuit parochus, concilium oppidanum simplicem facerdotem loco parochi substituit, qui biennio omnia parochi ministeria obivit, communi omnium opinione verus parochus existimatus. Dicendum est sacramenta confessionis, & matr. quæ ad sui valorem, jurisdictionem parochi desiderant, invalida fuisse, & prorsus iteranda: quia desuit titulus in parocho illo præsumpto, collatus a legitimo superiore Ecclesiastico: concilium enim oppidanum jurisdictionem Ecclesiasticam conferre non potuit: in quo casu nihil proficit communis error (ut probavi n. 42. & 50.) proles tamen ex talibus matrimoniis præsumptis habita, fuit legitima, ob bonam parentum fidem: juxta *c. Ex tenore, qui filii sint legitimi.* 63

3. Infertur, quid dicendum sit, si parochus ficte concedat licentiam sacerdoti assistendi matrim. idest, absque vera intentione concedendi, sed solis externis verbis? *Petr. de Led. de matr. q. 45. ar. 5. punct. 3. dub. 4. f. 192. col. 3. fi.* ait non valere matr. coram tali sacerdote celebratum. Idque a simili probat, quia confes- 64

confessio facta sacerdoti, cui Episcopus facultatem audiendi confessiones ficte concessit, irrita est: quia cum licentia invalida sit, titulus est nullus. Sed profectio petit principium, probando idem per idem: nam eadem prorsus in utroque casu fuit difficultas. Eamdem sent. in alio omnino simili tenet *Metina tr. 2. de confessions, q. De multiplici licentia alieno confitendi, ad fin.* ubi ait, si prælatus viden, & tacens alienum facerdotem audire confessionem, re vera non consentiat, nec det licentiam, excusari ratione probabilis ignorantiæ pœnitentem, & Confessorem, at confessionem esse invalidam defectu jurisdictionis. Ceterum credo validam esse illam confessionem, & matr. in utroque eventu. In primo quidem, quia concurrit licentia collata a legitimo superiore, & ejus nullitas est occulta, atque ita adest communis error, cum titulo præsumpto: sicut licentia concessa excommunicato alibi denunciato, audiendi confessiones, invalida est: at dum in hoc loco excommunicatio est occulta, validæ sunt confessiones virtute talis licentiæ auditæ, ratione communis erroris (ut dixi n. 9. & 13. & 35.) In posteriori autem, quia ea ratihabitio de præsenti reputatur in jure, & apud peritos, vera licentia, sicut licentia expresse concessa: & ita concurrit titulus præsumptus, & communis error, & eam ratihabitionem de præsenti reputari legitimam licentiam, probabimus hoc 3. l. disp. 35. n. 20.

65 Ultimo infertur, si sint diversæ opiniones, an aliquis sit legitimus minister matr. aut confessionis, vel licentia illi concessa sit legitima, vel privilegium bullæ revocatum sit, vel extendatur ad illum casum: & opinio affirmans non esse legitimum ministrum, aut licentiam non sufficientem, aut privilegium esse revocatum, vel minime extendi ad illum casum, sit coram Deo vera: dum tamen veritas illa latet, & probabili sapientum opinione reputatur probabilis, opinio opposita, confessiones factæ, & matr. celebrata coram tali ministro, vel virtute talis licentiæ, aut privilegii, valeat: quia est communis error, tituluque præsumptus, collatus a legitimo superiore, & defectum illum jurisdictionis ministri, aut licentiæ, potest jus humanum supplere: in quo casu valida esse gesta ratione communis erroris, diximus nu. 26. & seq. Pro hac parte est *Enr. l. 5. de pœn. c. 14. n. 4.* ubi dicit, quando probabili sapientum opinione creditur gratiam nondum expiraffe, valere gesta ratione illius, & melius id clare dixit num. 3.

DISPUTATIO XXIII.

Qualis habitatio in aliqua parochia sufficiat, & desideretur, ut parochus illius jurisdictionem parochi acquirat, possitque assistere matrimonio?

SUMMARIUM.

Quis sit proprius Episcopus ad ordines conferendum, & qualis habitatio requiratur, & sufficiat, ut in foro externo præsumatur domicilium, n. 1. & ibi nullus temporis habitatio sufficit absque animo perpetuo habitandi.

Acquiritur momentanea habitatione animo perpetuo habitandi, & semel acquisitum non deperditur sola animi mutatione, 2.

Domicilium originis an acquiratur nascitate in loco, in quo parentes casu erant, vel quale sit tunc domicilium originis, 3.

Domicilium originis est immutabile: habitationis vero, potest mutari, 4.

Quæ sint quæstiones disputandæ, 5.

An parochus domicilii solius originis possit assistere matr. proponuntur argum. probantia partem affirmantem, n. 6. & ibi naturalis prævalent, & causa naturalis accidentalis junto 8.

Non satis est parochus originis, n. 7. & ibi, nomine domicilii in dubio non intelligitur originis, sed solius habitationis: & in dubio a proprietate verborum recedendum non est.

Solvuntur argumenta: & explicatur l. Qui habet, in principio, ff. de tutelis, 8.

Post quam invenies alia summaria.

1 TRia fundamenta præmittenda sunt. I. est, pro Sacramento Ordinis recipiendo decretum est *c. Cum nullus, de tempor. in 6.* proprium Episcopum esse illum de cujus diœcesi promovendus ad Ordines est oriundus, vel in qua beneficium obtinet, vel domicilium habitationis. Ad hoc autem domicilium comparandum non sufficit qualiscumque habitatio, sed requiritur una cum habitatione animus perpetuo habitandi, alias nullo tempore comparabitur. Quare leges exigentes habitationem decennii, ut sunt *l. 2. C. de incolis, l. 10. l. 32. tit. 2. & l. 2. t. 24. p. 3.* procedunt ad præsumendum animum perpetuo habitandi, & subinde domicilium acquisitum esse, quando is animus ex aliis conjecturis non deprehenditur. Probatur ex *l. Nihil interest 25. ff. de capti. & postlim. rever. ibi, Neque enim satis est corpore domum, quem rediisse, si mente alienus est.* Et ita docent *gl. l. Cives, verb. Larem, C. de incolis, l. 10. Hosi. sum. tit. de parochis, §. pen. num. 7. Jo. Andr. cap. 1. i, de sepult. in 6.* ubi *Dom. nu. 5. Francus num. 1. Ant. proœmio decr. in princ. num. 33. Abb. c. fi. n. 8. de parochiis, & cons. 62. num. 10. p. 2. Marianus Soc. i. cap. Licet ratione, num. 25. de foro comp. Fel. cap. Dilectus, el 2. de rescrip. num. 12. Rebuf. de repetitione, super §. Qui vero, cap. Extirpandæ, de præb. f. 385. v. Domicilium, Bart. l. Quæsitum 76. initio, num. 7. ff. de leg. 1. 3. & l. 4. §. Præter ait, n. 9. ff. de damno infect. Ruin. consil. 85. n. 1. l. 5. Alc. l. Pupillus, §. incola, ff. de verb. signific. Silv. v. Domicilium, §. 2. & Confessor. 1. §. 10. Bertach. in repertorio, lit. D. verb. Domicilium, vers. Domicilium contrahitur per 10. annos, Nav. §. In levitico, notab. 32. num. 43. v. incolæ, & l. 1. consil. in 1. edit. t. de tempor. ordin. cons. 10 Menoc. lib. 2. de arbit. centuria 1. cas. 86. nu. 5. 7. & 22. Ios. de præsump. præsump. 42. num. 2. Aviles, cap. 2 prætorum, gl. Tales pueblos, num. 8. & 9. Mascard. de prob concl. 535. num. 13.* & multi alii, quos hi referunt, *Jo: Grat. in suis regulis juris, regula 146. num 3.* Et ex Theolog. *Abulensis super cap. 1. Ruth. q. 6. Enriq. l. 10. de Sacram. Ordinis, cap. 22. num. 2.*

Non tamen opus est ad domicilium contrahendum, decennio habitasse, sed statim ac quis incipit habitare animo perpetuo ibi manendi, acquirit domicilium. Probatur ex *l. Domicilium, ff. ad municip. ibi, Domicilium re, & facto transfertur.* Juncta *gl. verb. Domicilium*, ubi inquit, *Facto subintelige, & animo, nam hæc duo sunt necessaria:* ergo cum hic adsit factum, nempe habitatio: & animus, perpetuo habitandi comparatur domicilium. Sic *Hosi. sum. tit. de parochis, & §. penult. num. 7. Jac. de Sancto Gregorio*, quem refert, & sequitur *Dom. c. Cum nullus, de tempor. ordinat. in 6. in prin. num. 11. & ibi Francus num. 4. Abb. cap. fin. n. 8. de parochiis, Fel. c. Dilectus, el 2. de rescr. num. 12. v. Secundus casus, & vers. Secundo limita, Maria. c. Licet ratione, n. 25. de foro comp. Ang. verb. Domicilium, n. un. & ibi Silv. num. 2. Alcias. l. Pupillus, §. Incola, num. 1. ff. de verb. sign. Nav. l. 1. consilior. in 2. edit. de tempor. ordin. cons. 10. num. 2. & Aviles c. 2. Prætorum, gl. Tales pueblos, n. 7. & 8. Greg. Lop. l. 32. t. 2. par. 3. verb. Diez annos, Ant. Gabr. tom. 1. commun. in mea editione, l. 4 f. 191. col. 2. vers. Domicilium habitationis, Meno. de arb. lib. 2. cent. 1. casu 86. num. 2. Enriq. l. 10. de Sacram. ordin. c. 22. n. 2.* & multi alii, quos ipsi referunt. Hinc fit, sicut domicilium non solum animo, sed animo & facto constituitur: itaut transferatur, & deperdatur, opus esse animo, & facto, nempe desertione habitationis ex domicilio, quare sola mutatione animi perpetuo manendi, dum non mutatur prius illud domicilium habitationis acquisitum, non deperditur. Probatur, quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, c. 1. *de reg. juris*, sed domicilium habitationis non acquiritur solo animo habitandi, sed animo, & facto, nempe habitatione ipsa, ut per *l. Domicilium ff. de municip.* docet *ibi gl. verb. Domicilium, & l. non utique, verb. constituerit. ff. eodem, l. Cives, verb. Larem, C. de incolis, l. 10. Barth. l. Placet, n. 3. ff. ad municip. Marian. c. Licet ratione, n. 25. de foro comp.* ergo similiter non deperditur solo animo mutandi illud, sed opus est animo, & reali mutatione. Item probatur ex *ea l. Domicilium, ibi Domicilium re, & facto transfertur, non nuda contestatione.* Et ita tenent *ibi gl. verb. Domic. & melius l. Origine, ad fin. C. de municip. l. 10. & l. de jure 37. verb. Ad munera, fin. ff. de munic. Marianus d. c. Licet ratione, n. 54. Bald. l. finali, C. de munic. & org. l. 10.* Nec obstat doctrina *Bart. d. l. de iure, num. 2.* dicentis, domicilium habitationis, quod nuda voluntate constituitur, posse nuda voluntate transferri; nam intelligendus est, quando voluntas non stat in finibus solius destinationis, ut bene explicat *Maria. n. 54.* alias falso & contra seipsum affereret *Bart.* domicilium sola voluntate constitui.

II. Fundamentum est, ad domicilium originis non satis est natum esse aliquem in oppido, in quo parentes domicilium non habebant, sed aderant ad tempus, causa alicujus negotii expediendi: tunc enim non erit originarius loci, in quo casu natus est, sed fingitur natus in civitate, in qua parentes habitationis domicilium fortiebantur: quod aperte probari videtur ex *l. Filios, C. de munic. l. 10. & l. Cives, fin. C. de incolis, l. 10. ibi, Unde cum profectus est, peregrinari videtur.* Et mater quæ habebat animum revertendi, fingitur semper fuisse in civitate, & ita ibi peperisse, *l. 1. & t. retro, ff. de captiv.* Et ita docent *Bar. dicta l. Filios, n. 14.* licet sub dubio. *Abb. c. Rodulphus, de rescr. n. 9. ubi Fel. n. 14. Barb. n. 97. & cons. 52. vol. 2. Rebuf. rub. de collationibus, §. Cum vero, vers. Natus Ripa* dicens esse communem sententiam, *tr. de peste. in 2. p. octavo pestis priv Bald. Cyn. Petr. Ang. Alberic. Paulus, Matth. de Afflit.* quos cum aliis refert & sequitur *Salz. prad. cap. 54. num. 27. Ang. verb. Civis, num. 3. Silv. verb. Civitas, q. 14. Nav. l. 3. cons. tit. de præbendis, in 1. edit. cons. 41. Greg. Lop.* dicens sic sent. regii Senatus Pinciani declaratum esse, & hoc videri sibi verius, licet quia dubium est, relinquat cogitandum, *l. 2. verb. Maguer, t. 24. p. 4. Azebedo l. 19. t. 3. lib. 1. novæ recop. num. 1. & 2. Gutier. cons. 7. num. 7. Mascard. de prob. concl. 807. num. 3. Enr. l. 10. de Sacr. ordin. c. 22. num. 1.* contra alios, quos refert *ib. Salz.* dicentes esse originarium loci, in quo revera natus est. Et hoc adeo verum est, ut licet parentes decennio, & ultra ibi steterint, non dicatur filius ibi natus, sed in loco ubi parentes habent domicilium: ut bene docent *Greg. Lop. Azebedo nu. 1. & Salzedo ibid.*

III. Fundamentum est, hoc distat inter domicilium originis, & habitationis, quod illud est immutabile, *l. Assumptio. ff. ad munic. ibi, Neque recusand o quis patriam, ex qua oriundus est, mutare potest.* Idem habetur *l. Origine, C. de municip. lib. 10.* Et ratio est, quia naturale, naturalia autem sunt immutabilia. Hoc autem, sicut propria voluntate, propriaque facto constituitur, ita potest propria voluntate, & facto mutari, & amitti, *l. Domicilium, ff. ad municip.* Sic docent omnes, specialiter *Menoch.* alios referens, *præsumpt. lib. 6. præsumpt. 42. num. 4. & conf. 80. num. 10. vol. 1.* His præmissis, duplex est pertractanda quæstio. Altera est, an pa-

an parochus originis censeatur proprius ad assistendum matr. Altera, qualis habitatio in parochia sufficiat ad eam acquirendam.

6 Quæstio I. Uturum sicut domicilium originis sufficit pro Sacramento ordinis conferendo, quamvis promovendus alibi domicilium habitationis habeat: ita etiam sufficiat pro matr. & proinde Episcopus, vel parochus domicilii originis. possit assistere matr. & alii sacerdoti assistendi licentiam dare? Et videtur sufficere. 1. quia magis attendi debet causa naturalis, quam accidentalis, & naturalis prævalet, *lib. Qui habet, in pr. & ibi Dynus, & Bart. ff. de tutelis*, cum aliis adductis per *Tiraq. de retract. lignag.* §.30. *glos.*1. *n.*26. Qua ratione cum Angelo per eum relato, docet *Per alta l. unam ex familia*, §. *Si de Flacidia, n.*13. *ff. de legat.* 2. domicilium originis potentius esse quolibet alio: ergo cum sufficiat ad matr. parochus domicilii habitationis, a fortiori sufficiet parochus domicilii originis. 2. Quia domicilium originis nunquam deperditur, ut probavi nu. 4. sed una cum domicilio habitationis retinetur, *l. Senatores, ff. de Senator.* ibi, *Senatores licet in urbe domicilium habere videantur, tamen & ibi unde oriundi sunt, domicilium habere videntur.* Ergo sicut habens duo habitationis domicilia, potest in alterutro contrahere matr. coram illius parocho, ut dicemus disp. sequenti, n. 2. ita & cum aliquis sortitur duplex domicilium, alterum originis, & alterum habitationis, poterit alterutrum ad matr. eligere. 3. Quia quamvis subditus ratione originis, domicilium habitationis transfert, non desinit esse subditus domicilii originis, ut docet *Panorm. cap. Proposuisti, n.*7. *de foro compet.* Qua ratione *Nav. c. Non dicatis* 22. *q.*1. *in antiqua editione, n.*66. *in nova vero, n.*34. docens professum a religione expulsum manere Episcopo subjectum ex vi voti obedientiæ, a quo per expulsionem non absolvitur: quærit, cui Episcopo: & respondet, Episcopo originis, eo quod hujusmodi domicilium immutabile est: ergo si adhuc manet subditus Episcopi originis, mutans domicilium, poterit ab eo omnia Sacramenta, tanquam a proprio pastore recipere, & coram eo matr. celebrare.

7 Verum tenendum est, parochum solius originis non censeri proprium ad conjungendum aliquos matr. Probatur, quia *Trid. sess.*24. *c.*1. *de matr.* petit assistentiam proprii parochi, ad matr. valorem: illa autem dicitur propria parochia, & diœcesis alicujus, in qua habet domicilium habitationis, & proinde nomine domicilii, in dubio non venit originis domicilium, sed habitationis: ut docent *gl. c. Statutum, §. Cum vero, verb. Unam diætam, fin. de rescript. in 6. Francus eod. §. n.* 12. *& ibi Dom. ad fin. vers. Ex fine tamen glossæ, Anch. ibi n.*4. *vers. Quærit, glossa, Olim dicebamus: Alex. l. penultim. n.*11. *ff. de jurisd. omn. judic.* cum multis aliis, quos refert, & sequitur *Tiraq. de retract. lignag.* §.9. *gl.*2. *n.*21 *Fel. c. fin. nu.*23. *vers. Bene facit, de foro compet. Brunorus in suo compendio, littera D. verb. Domicili mentio*, & ratio est, quia in dubio a verborum proprietate recedendum non est, *l. Non aliter, ff. de legat.*2. ergo non satis est parochus originis, sed requiritur habitationis. Et confirmatur, quia ubi jus canonicum voluit sat esse Episcopum originis, id explicuit, ut in Sacramento ordinis, *cap. Cum nullus, de temp. ordin. in 6.* ibi, *Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat oriundus*: nec dixit Episcopum originis esse absolute, & quoad omnia superiorem, sed limitate, *Superior intelligitur in hoc casu*: Nimirum ut promoveat ad ordines: ergo non extendi debet ad matr. & ad alia Sacramenta, quæ jure a proprio parocho ministranda sunt. Secundo, quia non origo, sed habitatio constituit aliquem parochianum, & ita canonica portio, quæ jus quoddam parochiale est, non datur parochiæ originis, sed habitationis: ut bene hac ratione ducti tradunt *Domin. c.* 2. §. *Cum ab eo, n.*2. *notab.*2. *de sepul. in 6. & ibi Franc. n.*1. cum tamen dum quis duplicem parochiam habet, inter utramque dividenda sit: *cap.*2. *de sepult. in 6.* ergo. Dices hoc non probare, quia hæc canonica portio datur in præmium laboris ministerii Sacramentorum, quem cum solus habitationis parochus subeat, illi soli debetur. Contra tamen quia non datur tantum ob laborem actu præstitum, sed ob debitum: unde quamvis toto anno aliquis inhabitarit quamdam parochiam, in eaque audierit divina, & perceperit Sacramenta, si statim, ac in aliam se transtulit, decedat, quarta debebitur huic posteriori: ut constat, licet defunctus in ea nullum receperit Sacramentum, quia ibi erat illi debita Sacramentorum administratio: si ergo tam parochus originis, quam habitationis, est proprius pastor, Sacramentaque ministrare tenetur, utrique debebitur canonica portio: quod cum aperte falsum sit, dicendum est parochum solius originis, non esse proprium, ut intersit matr. Sacramentaque conferat. 3. Quia vagi (ut dicemus hoc 3.l.disp.25.n.1.) appellantur domicilio destituti, & ea ratione possunt a quovis parocho Sacramenta recipere, nec curatur de domicilio originis, quod necessario sortiuntur: ergo ad receptionem Sacramentorum non curatur de domicilio originis, sed de solo habitationis. Tandem, quia communissima sent. & valde probabilis (ut dicemus disp. sequenti, nu. 4.) docet gaudentem duplici habitationis domicilio, non posse in utrovis indifferenter recipere Sacramenta: sed in eo solo, in quo tempore Sacramentorum perceptionis, moram trahit: igitur sentiunt DD. parochum solius præsentis habitationis, esse legitimum ad ministranda Sacramenta. Et in hanc sent. docent, dicentes ut quis dicatur parochianus, non satis est domicilium jurisdictionis, aut originis propriæ, vel paternæ, vel beneficii, *Federic. de Senis in mea edit. consil.*254. *quod incipit, Quæstio subsequens, v. Super falso fundamento, & ad fi. v. Sed diceret aliquis: Anch. c. De uxore, n.* 8. *de sepult. &c. Is, qui n.*1. *eod. tit. in 6. Abb. c. Extirpandæ, in repetitione, § Qui vero, n.*11. *de prabend.* & pro hac sent. sunt, *Gloss. c. fin. verb. Habitatores, de parochiis, Bart. l. Ejus, qui manumisit, §. Celsus, n.* 1. *ff. de municip.* & alii quos refert, & sequitur *Menoch. de præsump. l.*6. *præsump.*42. *n.*5. ubi docent, domicilium originis esse immutabile, quoad munera, & honores: secus quoad jurisdictionem, amittitur enim translata alia habitatione.

Ad argum. proposita n. 6. respondetur. Ad 1. dic quando 8
utraque vere est causa, & confert aliquid, prævalere naturalem: secus quando causa naturalis non est vere causa, & nihil confert: ut contingit hic, nam ad parochiam acquirendam inspicitur habitatio, qua deficiente impertinens est origo: & domicilium originis in hoc dicitur potentius, quia amitti nequit, sicut mutata habitatione deperditur domicilium habitationis. Ad 2. nego consequentiam, quia ad recipienda Sacramenta a proprio parocho, nihil confert origo, sed sola habitatio: unde quando hæc duplicatur, conceditur electio, non autem potest eligi originis parochus. Ad 3. constat ex dictis n. præced. fine, esse subditum, originarium, nec in domicilium admitti quo ad munera, & honores: secus quoad jurisdictionem: & doctrina Navarri caret solido fundamento, quare merito communiter improbatur.

SUMMARIUM.

Quando aliquis figit alicubi domicilium, acquirit parochiam, secus quando alio tendit, brevi rediturus, num. 9.

Is dicitur proprius parochus ad assistendum matr. vel dandum licentiam, qui talis est ad audiendas confessiones, 10.

An ad acquirendam parochiam respectu matr. requiratur acquisitio domicilii, cum animo perpetuo habitandi: refertur opinio affirmans, nu. 11. *Et ibi, quid, ad confessiones audiendas, vel ut possit Episcopus cum aliquo dispensare.*

Contraria sent. sat esse habitationem per majorem anni partem, & idem ut possit Episcopus cum aliquo dispensare, ipsumque absolvere, sicut potest subditos, juxta Trid. sess. 24. de reform. c. 6. n. 12. Sententia auctoris, 13.

Non requiritur actualis habitatio per majorem anni partem, sed satis est incipere habitare eo animo, majori anni parte habitandi, nu. 14. *& ib. quid si habeat animum habitandi majori anni parte, & illo spatio diversas mutat parochias.*

Dum mulier nubit viro, ad cujus parochiam statim transitura est, an possit parochus illius mulieris assistere matrimonio, & si invalidum sit, & eadem die coram parocho ratificandum: jamque translata est ad viri parochiam, possit idem mulieris parochus assistere, 15.

An si alienigena se transferat in aliquam diœcesim animo habitandi perpetuo, cœpitque habitare, & postea animum mutat, possit ab episcopo illius diœcesis ad Ordines promoveri, 16.

An liceat virtute bullæ, & privilegiorum religionis, ministrare Eucharistiam in die Paschatis vagis, advenis, & peregrinis. Et explicatur Clem. 1. de privilegiis, an incurrat illius excommunicationem religiosus ministrans Eucharistiam alii religioso, absque licentia, num. 17. *Et ibi, an teneantur peregrini confluere ad Ecclesiam matricem, ad recipienda sacramenta in Paschate.*

An virtute ejusdem bullæ, aut privilegiorum, possit porrigi Eucharistia in Paschate, mercenariis ad breve tempus locantibus operas, vel debeant eam recipere in heri parochia, num. 18. *Solvuntur argumenta: & explicatur cap. Is, qui de sepulturis, in 6. & lib. 1. §. Hæc autem verba, ff. de his, qui dejecerunt,* 19.

QUæstio II. An sicut ut Episcopus censeatur proprius ad 9
promovendum ad Ordines, non satis est cujuscumque temporis habitatio, nisi adsit animus perpetuo habitandi, atque ita desideratur vera domicilii habitationis constitutio: ut dixi n. 1. ita etiam, ut dicatur aliquis proprius parochus ad assistendum matrim. exigatur verum habitationis domicilium, cum animo permanendi? Quadruplex potest esse casus. 1. est, quando aliquis inhabitat parochiam, figens ibi domicilium, & tunc certum est quoad omnia effici parochianum illius. 2. quando nullibi fixum habet domicilium. Et de hoc tractabitur disp. 25. 3. quando domicilium in quodam oppido obtinet, & petit alio, brevi ad proprium domicilium rediturus, ut si causa recreationis, vel ad ruralia exercenda alio tendat. Et tunc certum est esse parochianum prioris oppidi, & non illius, ad quod accedit. Ut expresse habetur *cap. Is, qui de sepult. in 6.* ibi, *is, qui habet domicilium in civitate, vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert, recreationis gratia, vel ut ruralia exerceat, si non electa sepultura decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua parochiali sepeliri debebit.* Ita consuluerunt varii Doctores consulti apud *Menochium, cons.*398. *vol.*4. *& quadruplici decisione Rotæ*, quas ibi Menochius recitat, decisum est: & docet *Navarr. lib.* 4. *cons.* 1. *de clanst. despons. in* 1. *edit. cons.* 2. *in* 2. *cons.*6. & consentiunt auctores utriusque sent. referendæ. 4. est, dum quis domicilium habet in aliquo loco, & adivit alium ibi habitaturus ad certum tempus, causa negotii alicujus expedien-

pedien-

pediendi, ut eo expedito ad proprium domicilium redeat. Ut sunt scolastici in studii loco, mercenarii in domo heri, sollicitatores in curia, & ii, qui causa pestis, aut belli fugiunt, redituri illis cessantibus. Et in hoc casu consistit tota difficultas: ut asserunt *Abb. c. In nostra, n.* 11. *de sepult. & Rebuf. repet. c. Extirpandæ, §. Qui vero, de præb. vers. Quartus casus est, f.*385. Difficultas igitur est, an ratione hujus temporalis habitationis dicatur quis parochianus illius parochiæ, quam inhabitat, ita ut ille sit proprius parochus ad assistendum matrimonio, & cetera sacramenta ministranda?

10 Præmittendum est, eum dici proprium parochum ad conjungendum aliquos matr. aliique licentiam conjungendi concedendam, qui *c. Omnis utriusque sexus, de pœn. & remissio.* appellatur proprius sacerdos ad audiendas confessiones, & dandam alteri sacerdoti audiendi licentiam. Prob. quia sicut *in Trid. sess.* 24. *c.*1. *de matr.* petitur, ut assistat proprius parochus, vel alius sacerdos ex ejus commissione, ita *d. c. Omnis*, ut proprius sacerdos excipiat confessiones, vel alius de ejus licentia: ergo idem est proprius parochus, de quo Tridentinum loquitur, & proprius sacerdos, de quo meminit *d. c. Omnis*. Item quia *d. c. Omnis*, sumitur proprius sacerdos pro habente jurisdictionem ordinariam ratione officii, cui est annexa animarum cura: ut docent *Rebuf. in repetitione d. c. Omnis, §. proprio sacerdoti, vers. Item presbyter parochialis, Alm.*4. *d.*17. *q.*1. *a.*3. *Gabriel eadem d. q.*2. *a.*1. *notat.*3. *vers. Quibus, Adrian.*4. *q.*5. *de confessione. Victoria summa de confessione, n.*145. *Sotus* 4. *d.*18. *q.*4. *a.*2. *paulo post principium, vers. At vero hujusmodi Led.*2. *p.*4. *q.*7. *a.*4. *dub.*2. *Ugolinus de censuris tabul.*3. *c.*4. §.1. *n.*1. & patet, quia alias non subjungeretur *d. c. Omnis* ut quilibet confiteretur proprio sacerdoti, vel alieno de licentia proprii: confessores enim delegatos, qui parochi non sunt, manifestum est minime hanc licentiam concedere posse; constat autem eumdem esse parochum, qui potest matr. interesse, vel alii licentiam dare: ergo pro eodem sumuntur. Sic docent *Spino speculo testam. gl.* 15. *n.* 38. *Petr. de Ledes. de matr. q.* 45. *a.* 5. *punct.* 3. *dub.* 3. *concl.* 1. *&* 3. *f.* 191. *& seq.*

11 Duplex est sent. in proposita qu. I. ait, ut vere aliquis dicatur parochianus, exigi animum constituendi ibi domicilium, quare si habet domicilium in uno loco, transferatque se in alium, non animo permanendi, sed ex causa limitata ad tempus, qua finita rediturus est ad proprium, non censeri illius loci, in quo ad tempus adest, parochianum, sed loci domicilii permanentis. Prob. 1. ex *c. Is, qui de sepulturis in 6.* ubi expresse habetur transferentem se ad villam causa recreationis; vel ad ruralia exercenda, non effici villæ parochianum, sed proprii domicilii: nec differre videtur, an quis se transferat ad illam, ut ruralia exerceat, vel ut transferat se, ut exerceat professionem scholasticam, vel ut alicui famuletur: quia in utroque casu concurrit habitatio in parochia aliena, retento priori domicilio: nec *c. Is, qui* ponderat tempus habitationis, sed tantum adesse in villa ad tempus animo redeundi ad proprium domicilium: ergo ratione temporalis habitationis nullus efficitur parochianus, 2. Prob. ex *l.* 1. §. *Hæc autem verba, vers. Hospes, ff. de his, qui dejecerunt*, ibi, *tantum autem interest inter habitatorem, & hospitem, quantum interest inter domicilium habentem, & peregrinantem*: ergo habitator proprie dicitur, qui domicilium assequitur, & consequenter, qui ad tempus hospes est, dicetur peregrinus nec acquiret parochiam rationis illius habitationis. Et confirmatur ex doctrina *Bald. l.*1. *n.*8. *ff. de statu hom.* ubi ait, testatore legante omnes domos proprias, quas inhabitat, non censeri legatam domum ruralem, quam raro habitabat; ergo ratione temporalis habitationis brevis non dicetur aliquis parochianus, & habitator. 3. Prob. quia habitans causa negotii alicujus expediendi, non desinit esse parochianus loci, in quo habet proprium domicilium, ad quod eo finito est reversurus, ut constat: ergo non efficitur parochianus loci hujus temporalis habitationis: alias dicendum esset habere duplicem parochiam habitationis: quod manifeste falsum videtur, ad id enim desideratur, ut in utraque æqualiter se collocet: ut expresse habetur *c.* 2 *de sepult. in 6 & l. Assumptio. §. Filius, & l. Ejus, qui manumisit. §. Celsus. ff. ad municip.* & dicemus disp. seq. Hic autem valde inæqualiter se collocat, in parochia enim domicilii continuo habitat, in alia autem per anni spatium. Hanc sent. tenent *gl. c. Is, qui de sepult. in 6. post casus positionem, vers. Nota quod ex sola mora, & ibi Domin. in princ. n.*2. *&* 5. *& Francus ibi, n.* 1. ubi expresse dicunt, ex sola mora facta in loco non censeri aliquem parochianum, si animus perpetuæ moræ deficiat. Idem *Jo: Andr. ibi, initio, & Domin. eo n.*5. *Ant.* in quadam disp. (ut illum refert *Abb. c. In nostra, n.*10. *de sepultu.*) dicens ita Bononiæ decisum esse: ubi hi DD. ajunt fugientem ad oppidum cum tota familia timore hostium, non effici illius parochianum, eo quod careat animo manendi perpetuo. Idem *Host. summ. t. de parochis, §. pen. n.*7. *initio, ad finem illius §.* ait transeuntem ad alienam parochiam animo domicilium constituendi, ibique permanendi, statim effici parochianum: & *eo n.*7. ait scolasticos 30. annis habitantes in loco studii, non posse illius parocho fateri, nisi illuc ex proprii parochi licentia adierint: & *tit. de pœn. & remissio §. Cui rustici, n.*44. *initio*, quærens cui rustici debeant fateri: hæc ait, *si se transferunt animo perpetuo remanendi, facti sunt parochiani, alias si non intendunt derelinquere domicilium antiquum, non possunt fateri absque licentia parochi domicilii*. Idem tenent *Abb. c. Nullus, n.*4. *de parochis, Rosella verb. Domicilium n. uni* ubi *Ang. n. un ad fin. verb. Parochia, fi. Sylv. verb. Domicilium, n.*2. *& verb. Parochia, fin. & Confess.* 1. *q.*10. *Tab. verb. Domicilium, ad fi. & verb. Parochia, q.*2. *nu.*3. *Aloysius in quodam consil. nu.*43. quod affert *Menochius concl.* 398. *vol.*4. ubi hi omnes dicunt, Episcopum loci, ubi scholares causa studii habitant, non esse proprium pastorem quoad sacramenta voluntaria: & subinde inferunt *Abb. ibi Sylv. verb. Domicilium n.*3. *Ang. n. un. & ibi Tab. ad fi.* non posse vota scholasticorum commutare: quia defectu animi perpetuo commorandi non efficiuntur subditi, nisi quoad sacramenta necessaria, ut confessionis, & communionis. Idem *Abb. c. In nostra, n.*11. *de sepult.* ubi ait solam habitationem non facere proprie parochianum, sed dum quis animum redeundi habet, priorem Ecclesiam esse parochialem. Imo ad confessiones audiendas, solum admittunt aliqui esse proprium parochum loci, in quo hi habitant ad tempus, quando ita distant a proprio domicilio, ut illuc confluere nequeant. Sic *Abb. c. In nostra n.*11. *de sepul. & c. Omnis, de pœn. & remiss.*23. *& Clem.*1. *de privil. n.*7. *Ang. Confess.* 3. *n.*10.11. *Sylv. Confessor* 1. *q.*10. *Greg. Lop. l.*21. *tit.*4. *p.*1. *verb. Parochianos fi. & Fr. Alex. l.*1. *sum. c.*3. *de potestate confessoris, n.* 48 *& Ant. Cuc. l.*5. *inst. tut. majorum, t.*4. *nu.*185. Et addit *Greg. Lop. ibi*, hoc permitti ob necessitatem, non tamen ob id scholasticos, & mercatores fieri parochianos illius loci. Idem videtur clare tenere *Speculator tit. de dispens. §. Consequenter, n.* 5. ubi ait, legatum, cui indultum est, posse dispensare cum irregularibus in provincia sibi commissa, non posse dispensare cum scholasticis, & alienigenis intra illam ad tempus degentibus, sed cum perpetuo moraturis. Idem videtur tenere *Calderinus cons.*3. *de sepult.* ubi ait, ducem castri ob pestem alio se transferentem, non comparare parochiam, idem sentit *Henric. c. Omnis.* 24. *de pœn. & remiss.* ubi ait, scholasticos tunc posse fateri parocho loci studii, quando licentiam a proprio Episcopo illuc eundi obtinuerunt: atque ita sentit ratione illius habitationis non assequi parochiam. Idem *Jacobus de Zochis repetitione super d. c. Omnis, n.*140 ubi ait, rusticos in alienis parochiis hyemantes, non animo permanendi, debere a proprio parocho licentiam petere fatendi alii. Idem expresse tenet *N. c. Placuit, de pœn. d.*6 *n.*92. *&* 102. ubi ait, sententiam Federici asserentis ratione temporalis habitationis acquiri parochiam, non esse tenendam: & *n.*96. concludit ratione habitationis annalis, vel annali majoris, non acquiri forum conscientiæ, nisi ubi quis commode adire non potest domicilii parochum, ut ab eo Sacramenta suscipiat, vel nisi domicilio careat. Et in propriis terminis, circa matr. docent, solum dici proprium parochum parochiæ, in qua contrahentes animum permanendi habent, secus si habitent ad tempus, redituri postea ad proprium domicilium: *Rota in novissimis, decisione* 643. *n.*2. *&* 3. *vol.*1. *Enriq. l.*11. *de matr. c.*3. *n.* 3. *Manuel* 1. *t. sum.*2. *edit. c.*219. *n.*6. *Segura* 2. *p. direct. judicum, c.* 15. *n* 48. *Spino speculo test. gl.*15. *n.*41. *Petr. de Ledes. de matr. q.*45. *a.* 5. *punct.* 3. *post. dubium* 4. §. *Dico tertio si de facto, f.*193. *col.*1. Pro eadem sent. est *Th. Trevisanus l.*1. *dec.*23. ubi ait, Venetiis decisum esse, si mulier, quæ anni spatio habitavit cum amasio, nubat alteri, non assistente parocho domicilii feminæ, vel viri, sed parochiæ amasii non valere matr. quia ratione illius habitationis non contrahitur parochia, & quamvis uxor sortiatur forum ratione domicilii viri, non tamen concubina: ut bene docet *gl. c. Eos, verb. Eos, d.*32.

II. Sententia docet, acquiri parochiam ratione habitationis, 12
quando ea brevis temporis non est, ut si in oppidum se aliquis recipit causa alicujus negotii expediendi, ut eo expedito ad proprium domicilium redeat. Ut acquirunt scholastici in loco studii, famuli, & mercenarii non ad breve tempus locantes operas in domo heri, & ii, qui causa pestis, aut belli aliquo confugiunt. Prob. 1. quia is est proprius parochus ad conjungendum aliquos matr. qui in *c. Omnis de pœn. & remis.* appellatur proprius sacerdos ad audiendas confessiones: ut probavi n.19. sed ibi appellatur talis, habens curam parochiæ, in qua aliquis per majorem anni partem habitat, ut tradunt *Ang. verb. Domicilium, n un. ad fi. & ibi Sylv. n.*2. *idem Ang. verb. Parochia, fi. & ibi Sylv. fine, Tab. ibi q.*2. *n.*3. Et ad idem sunt *Inn. d. c. Omnis, n.*6. *Jo: Andr. n.* 13. *Ant. n.*38. *Card. n.*6. *Anchar. n.*9. ubi ajunt, ibi dici proprium sacerdotem scholasticorum, & mercenariorum illum, in cujus parochia per anni spatium habitant: ergo similiter is erit proprius parochus pro matrim. nec ad id requiretur animus perpetuo habitandi. 2. Probatur ex *c. In nostra, de sepult.* ibi, *soluta quarta parochiali Ecclesiæ, de cujus parochia mortuorum corpora assumuntur*. Ubi sola habitatio, & non animus manendi ponderatur. Et *c. finali de parochiis*, ibi, *cum ad inhabitandum in ea se quamplurimi contulissent*, ubi ii, qui ob bellum ad alienam parochiam confugerunt, dicuntur parochiani, & *c.*16. *q.*1. ibi, *dent. decimas suas, ubi per totum anni circulum Missas audiunt*. Ubi sola habitatio ponderatur. 3. Probatur ex *cap. Cum nullus, ac tempor. ordin. in 6.* ibi, *cum nullus clericum alienæ parochiæ debeat præter superioris licentiam ordinare, superior in hoc casu intelligitur, in cujus diœcesi promovendus domicilium obtinet*. Ubi pondero ea verba, *in hoc casu*, quasi speciale sit in sacramento ordinis, exigi constitutionem domicilii, ut aliquis censeatur proprius Episcopus: ergo ad recipienda cetera sacramenta id non exigitur, sed satis erit temporalis habitatio. 4. Quia in eo loco habitare quis dicitur, ubi majori anni parte habitat: teste *Tiraquello*, cum multis, *de retract. lignag.* §. 9. *gl.*2. *nu.*26. ubi etiam *cum Paulo* docet, ibi censeri assidue habitare: sed ratione assiduæ habitationis sortitur aliquis forum externum, ita ut possit conveniri de alibi gestis: ut probat *l.* 2. *in princ.* ibi, *&*

assidue

assidue versatur, C. ubi Senato. & docent cum multis aliis *Inn. c. Ex parte, n. 1. de foro compet. Abb. c. Quod clericis, n. 5. eo. t. Marianus c. Licet ratione. n. 26. eod. cit.* ergo similiter ratione talis habitationis acquiret forum in rebus spiritualibus, cum uterque forus æque jurisdictionem petat. Et confir. quia ex sola habitatione alicubi, non per modum viatoris, sed conducta domo, vel officina, contrahitur quasi domicilium, ita ut hic possit ibi conveniri: ut habetur *l. Hæres absens, §. proinde, in fi. ibi, at si quo, ff. de judiciis, & l. 2. C. ubi de crim. agi oportet. & ibi gl. verb. Degit, & l. Quisquis, C. si cert. pet. & ibi gl. verb. Versatus,* ergo similiter acquiretur quasi domicilium in rebus spiritualibus, ut ratione illius parochus habeat jurisdictionem in sic habitantem. Quare hanc sent. tenent expresse *Feder. de Senis, cons. 254. in mea edit. quod incipit, Subsequens q. vers. Ista jura non tr. & vers. Sed diceret aliquis: Anch. c. De uxore, n. 7. & 8. de sepult. & c. Is, n. 1. eo. t. in 6.* ubi dicunt, non esse arguendum de jure parochiæ, ad jus domicilii: quia ad jus parochiæ consideratur præsens status, id est, habitatio præsens, unde si propter bellum ad aliam parochiam quis se transtulit, animo redeundi ad primam, bello cessante non erit sua Ecclesia parochialis illa dimissa, sed quam tunc inhabitat: & idem dicunt de mercenario, & famulo, in aliena parochia ministranti. Unde concludunt illum dici parochianum, qui habitat in parochia animo manendi, licet non animo domicilium constituendi, secus quando causa recreationis: ut *c. Is, qui de sepult. in 6.* unde dicunt esse parochianum loci belli verisimiliter duraturi, quia tunc accedit animo commorandi, secus si per transitum exercitus transeuntis se ad civitatem contulisset. Et hanc sent. Federici commendat, eam amplectens *Abb. c. Extirpandæ, in repetit. §. Qui vero, de præbend. n. 11.* Et eam sequitur *Rosella Confessio sacramentalis 3. n. 40.* dicens, acquirere parochiam, qui translatus est, licet non habeat ibi domicilium, vel animum habitandi perpetuo. Idem *Salva de beneficiis 3. p. q. 42. n. 7 & Petr. de Ubaldis de canon. Episcopali, c. 7. n. 2. (habetur t. 15. tr. noviorum p. 2.)* ubi hæc inquit, *parochianus dicitur, quando per annum, vel majorem anni partem inhabitat.* Idem *Rebuf. repet super c. Extirpandæ, §. Qui vero, de præb. v. Contrariam opinionem, f. 385.* ubi ait, *c. Is, qui de sepult. in 6.* dum decidit euntem in villam causa recreationis, non acquirere ibi parochiam, loqui quando non venit ad habitandum, ex causa in loco, sed animo statim recedendi: quare fugientem ob pestem causa habitandi ad aliquod tempus, dici statim parochianum: secus si non causa habitandi, sed ut uno, aut altero die ibi sit. Pro eadem sententia sunt alii DD. qui cum *Clem. 1. de privilegiis,* exigatur licentia proprii parochi, ut religiosi ministrent Eucharistiam, extremam unctionem, vel matr. solemnizent, ajunt hunc proprium parochum quoad mercenarios, & scholares, & his similes, esse illum, in cujus parochia habitant. Hi sunt *gl. ea Clem. 1. verb. Parochialis, & ibi Bonifacius n. 29* ubi hæc inquit, *Proprius curatus dicitur omnium parochianorum, etiamsi ad tempus habitent in parochia illa, ut sunt scholares, & mercenarii: pro tunc enim non sunt actu parochiani alterius parochiæ.* Et melius in eodem casu loquentes id tenent *Card. ea Clem. 1. q. 16. D. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 54. Rosella Absolutio 1. n. 41. Ang. Excomm. 5. casu 12. n. 18. Sylv. Excom. 7. casu 14. dub. 1. n. 31. Tab. Excom. 5. casu 11. q. 4. n. 5.* ubi dicunt, pro scholasticis, & mercenariis, & aliis sufficere licentiam parochi parochiæ, quam inhabitant, nisi sint causa recreationis, vel alia statim redituri ad propriam parochiam. Idem docet *Cardin. c. 1. de sepul. n. 5. q. 7.* ubi hæc inquit, *Si scholaris in loco studii, vel existens in officium, ibi decedat; est parochianus Ecclesiæ, in qua moritur, ex quo non statim, sed finito officio reversurus.* Idem *Bald. l. Si quis ad declinanda 37. §. In omnibus, n. 26. init. C. de Episcopis, & cleric.* ubi ait, Ecclesiam parochialem esse, in qua aliquis majori anni parte habitat. Idem *Abb. c. Cum contingat, n. 2.) de foro compet.* ubi hæc inquit, *Parochi habent jus in foro pœnitentiæ, in extraneos in eorum parochia commorantes, licet ibi non contraxerint perpetuum domicilium, ut sunt scholares, quorum parochus est ille, in cujus parochia inhabitant.* Idem *Bertachin. in suo repertorio, lit. P. verb. Parochianus, vers. antepenultim.* ubi ait, parochianum dici Ecclesiæ, in cujus parochia scholaris, vel mercenarius, vel alius inhabitat, nisi ad tempus ibi sit recessurus incontinenti. Idem *Gabr. 4. disp. 27. q. 2. a. 3. dub. 2.* ubi ait, scholares, & mercatores, dum per aliquod tempus notabilem moram faciunt in aliqua parochia, ibi habere suum proprium sacerdotem, & notabilem moram esse majorem anni partem. Idem omnino consuluerunt quidam Patres docti, Ordinis Minorum, consulti in casu matr. in quodam consilio, n. 32. quod refertur inter consilia *Menochii, con. 398. vol. 4.* Idem tenent *Menoc. de præsum. l. 6. de præsump. 88. n. 3. & Mascard. de probatio. concl. 1150. n. 1. & 2.* ubi dicunt, parochum proprium præsumi, & dici, sub cujus parochiali Ecclesia contrahere volentes, habitant toto anno, vel majori anni parte, non vero si ruri, aliove in loco, recreationis causa aliquot diebus, vel mensibus habitent, redituri deinde ad solitum domicilium. Idem colligitur ex *Rota in novissimi, decisione 656. initio volum. 1.* ubi definit, matr. non esse validum contractum coram parocho rurali, eo quod probatum est contrahentes non solere esse ruri majori parte anni, neque etiam pro dimidia, sed tantum per tres, aut quatuor menses. Idem videtur tenere *P. Molin. 1. t. de just. tr 2. disp. 214. f. 1304. ubi §. Quando quis dixerat habentem domicilium in aliquo loco, si in alio, in quo ad tempus residebat, non electa sepultura decedat; sepeliendum esse in parochia proprii domicilii:* & postea *§. Illi, qui ad modum scholasticorum,* ait, qui ad modum scholasticorum in aliquo loco, ad tempus fixo domicilio, commorantur, ejus esse parochiæ, in qua commorantur, in illaque teneri recipere sacramenta, & sepeliendos esse, nisi aliam eligant sepulturam. Ad idem sunt expresse alii DD. sentientes posse Episcopum dispensare in votis scholasticorum, ibi ad tempus residentium: non enim posset, si ratione habitationis non acquirerent quasi domicilium, & non efficeretur is Episcopus proprius illorum pastor. Hi sunt *Alcocer sum. c. 16. circa votorum dispensationem, concl. 5. f. 59.* ubi ait, esse probabile, & viros doctos ita sentire, posse Episcopum dispensare in votis eorum, qui aliquo tempore in sua diœcesi habitant: & *Angles floribus 1. p. q. 3. de confessione, a. 8. dific. 4. dub. 1. concl. 10. f. 293.* dicit forte Episcopum Salmantinum posse dispensare in votis scholasticorum, idem *Arag. 2. 2. q. 88. a. 12. §. Si quis autem quærat, an omnis, vers. Sexta concl.* ubi ait posse Episcopum dispensare cum scholasticis, quando magna parte anni domicilium Salmanticæ habent. Et melius id docent *Enriq. l. 6. de pœn. c. 14. n 8. & Manuel 1. t. sum. in nova editione, c. 55. n. 5.* ubi dicunt, non tantum in votis, sed etiam in casibus concessis per *Trid. sess. 24. c. 6. de reformat.* Episcopo erga sibi subditos, posse Episcopum dispensare cum iis mercatoribus, & scholaribus, qui majori anni parte moram trahunt in sua diœcesi, & domicilium habent in aliena: idem de votis, nempe posse Episcopum dispensare cum scholasticis majori anni parte in sua diœcesi commorantibus, docet idem *Manuel 1. to. sum. in nova edit. c. 100. n. 3.* & hæc dispensatio est circa voluntaria, ut irregularitates, vota, &c. quare ergo non poterit eos conjungere matrimonio, quod est etiam sacramentum voluntarium, & ad utrumque requiritur vere subditum esse illius diœcesis.

13 Sit conclusio, quamvis prior sententia sit probabilissima: at posterior mihi arridet tanquam verior. Durum enim mihi videtur, ut scholastici, & alii, qui majori anni parte, imo & multis annis in aliqua diœcesi habitant, non possint ibi matr. conjungi, & sepeliri, dum non eligunt sepulturam: & ut non debeant in ea parochia, in qua decedunt, canonicam portionem: & non possint ibi votorum, & aliorum casuum dispensationem obtinere: & ita credo ad omnia dempto Ordinis sacramento, effici aliquem parochianum, & subditum alicujus diœcesis, quando majori anni parte ibi inhabitat: ut multi ex DD. citaris pro secunda sententia, quam amplectimur, explicant, & probavi n. præcedenti. Utrum autem possit hic majori anni parte habitans eligere parochum proprii domicilii, dicam nu 19. fine.

14 Hinc infertur 1. non opus esse expectare, ut majori anni parte hi in parochia, aut diœcesi habitarint, sed statim, ac animum habitandi majori anni parte habentes, incipiunt habitare, effici parochianos, & posse omnia dicta erga illos exerceri. Sicut enim ad domicilium nullius temporis habitatio requiritur, sed statim ac quis incipit habitare, cum animo perpetuo habitandi, illud acquirit: ut dixi n. 2. sic statim ac quis incipit habitare animum habens habitandi toto tempore requisito, efficitur parochianus. Sic *Card. Clem. 1. de privil. q. 16. Rebuff. repet. c. Extirpandæ, §. Qui vero, de præben. verb. Contrariam opinionem, f. 385. Sylv. verb. Domicilium, n. 2. Tab. Excom. 5. casu 11. q. 4. n. 5.* & probavi in alio simili, hoc 3. l. disp. 18. n 9. Si quis autem habeat animum habitandi majori anni parte in oppido, cum jam respectu illius efficiatur parochianus, licet eo tempore varias mutet parochias, & ita in nulla habeat animum habitandi tempore requisito, recipere poterit Sacramenta omnia ab eo parocho, cui actu tunc subditur: quia non habet aliam in oppido.

15 2. Infertur, si mulier coram parocho suæ parochiæ nubat viro, & contracto matr. eadem die se transfert ad viri parochiam, si matr. forte fuit nullum, sitque iterandum, quamvis eadem die coram parocho: non posse jam assistere priorem illum feminæ parochum. Quia mutatione illa, statim desiit esse parochiana illius, novamque parochiam acquisivit. Quare interesse debet parochus domus ad quam cum viro se transtulit. Sed rogabis qualiter parochus feminæ potuerit interesse matrimonio, cum tunc animum haberet statim ad viri parochiam migrandi, & ita desiderabatur animus habitandi tempore requisito. Resp. Cum femina illam parochiam semel acquisivisset, non illam deperdere solo animo, sed opus esse etiam facto, nempe desertione habitationis in ea, ut late probavi nu. 2.

16 3. Infertur pro sacramento Ordinis, si alienigena se transferat in aliquam diœcesim animo habitandi perpetuo, cœperitque habitare eo animo, quamvis statim mutet animum, posse ad ordines promoveri ab Episcopo illius diœcesis, & reliqua posse exercere erga illum Episcopum, quæ potest cum suis subditis, dum non mutavit actu habitationem. Quia semel acquisitum domicilium animo, & facto, non potuit transferri, & deperdi sola animi mutatione, ut probavi nu. 2.

17 4. Infertur, quamvis nec per religionis privilegia, nec virtute bullæ cruciatæ, liceat ministrare Eucharistiam nisi soli parocho respectu suorum parochianorum, in die Paschatis, eo quod excipiatur illa dies in privilegiis, & in bulla; licere tamen privilegiorum talium, aut bullæ virtute, ministrare vagis, advenis, & peregrinis, qui in eo oppido minime habitationis parochiam contraxerunt: quia nec habitarunt, nec animum habitandi habent majori anni parte. Probatur, quia ea limitatio diei Paschatis, fuit in parochorum favorem, quo eis non infertur injuria, omnesque ea die ad propriam parochiam confluerent: sed in hoc casu non irrogatur injuria parocho, cum vagi parochia præscripta careant, peregrinique a propria distent,

nec ea, in qua brevi tempore hospitantur, sit propria: ergo exceptio illa non comprehendit hunc casum, sed manebit respectu horum, privilegium generale ministrandi Eucharistiam. Et confirm. quia *Clem. de privilegiis,* excommunicantur religiosi ministrantes Eucharistiam absque parochi licentia, & tamen DD. omnes n. 11. & 12. citati pro utraque sententia, dicunt nomine parochi eam licentiam concessuri, non intelligi ejus parochiæ præfectum, in qua brevi tempore hospitantur peregrini: ergo huic parocho non irrogatur injuria: nec etiam parocho proprii domicilii, cum peregrini, & viatores ex generali usu, dum absunt a parochia, possunt ubi reperiuntur fateri, & Eucharistiam recipere: ergo virtute bullæ, & privilegiorum religionis potest eis etiam in die Paschatis ministrari Eucharistia. 2. Prob. quia ex tacita licentia proprii parochi absentis, potest ministrari Eucharistia his peregrinis: ergo cum ea licentia non sit restricta ab ipso parocho, nec usu, poterunt recipere Eucharistiam a quocumque, qui alias poterat ministrare. 3. Quia quamvis *Clem. 1. de privilegiis,* interdicatur sub excommunicatione religiosis, ne ministrent Eucharistiam sine licentia proprii parochi: ac tenent multi eam non incurrere religiosum ministrantem alieno religioso, sine licentia prælati illius: eo quod hæc prohibitio sit in parochi favorem, cui injuria non fit, cum ille religiosus non sit subditus parocho, nec prælatus religionis, cui ille subditur, veniat parochi appellatione. Sic *Rosella Absolutio 1. num. 36. Ang. Excomm. 5. casu 12. num. 4. Caj. sum. verb. Excomm. cap. 64.* ubi *Armilla Excomm. 49. Tab. Excomm. 5. casu 11. q. 2. num. 3. Nav. sum. cap. 26. num. 102. Manuel q. regularib. t. 1. q. 56. a. 6. Enriq. l. 3. de Eucharistia, cap. 55. num. 1. in comm. lit. B. Suarez 3. p. q. 82. a. 2. disp. 72. sect. 2.* ergo tota ratio illius prohibitionis, ne religiosi ministrent Eucharistiam, est ob parochi injuriam, quæ cum respectu vagorum, & viatorum cesset, respectu horum non habebit locum prohibitio. Nec obstat decrevisse Eugenium IV (ut refert *Compendium privilegior. Mendicantium, verb. Absolutio 1. quoad sæculares, n. 5.*) hos adipisci incolatum quoad Sacramenta confessionis, & communionis tempore Paschatis, licet ibi modico tempore steterint: quia hoc concessit in favorem peregrinorum, ad tollendos scrupulos, non tamen eos obligavit, ut talibus parochis subiicerentur, sed reliquit juris communis dispositioni. Sic docent in propriis terminis *Manuel Rodriguez quæst. 56. proximo citata a. 6. Enriq. l. 8. de Eucharistia, cap. 55. num. 1. in comment. lit. G.* & habetur in *const. Soc. Jesu 7. p. cap. 4. super lit. B. & in compend. privileg. ejusdem, verb. Eucharistia, & reg. 27. sacerdotum.* Nec obstat etiam, aliquos dicere, teneri peregrinos confluere ad Ecclesiam Cathedralem, & matricem, quasi sit parochia universalis totius diœcesis. Sic tenent *Ant. c. 1. de sepult. num. 8. Silv. Confess. 1. q. 11. Victoria sum. de confess. n. 155.* Idemque expresse colligitur ex aliis auctoribus, asserentibus hos peregrinos sepeliendos esse in Ecclesia Cathedrali, licet in alia decedant. Hi sunt *In cap. 1. de sepult. num. un. super verb. Sepulturam, & ibi Host. paulo post princ. super. verb. Et eligere, Ant. n. 8. Card. n. 5. q. 3. Rosella Sepultura 1. n. 10. Silv. v. Sepult. q. 8. dict. 2.* nam ibi quis sepeliri debet, ubi Sacramenta percepturus est, atque utrumque jus propriæ parochiæ est: ut constat ex *c. Ex parte, & c. In nostra, de sepul..* & docent *gl. c. Ubicumque, init. 13. q. 2. Archid. c. 1. de sepult. in 6. n. 2. & ibi Domin. §. Statuentes, n. 4. vers. Sed dubium est, Abb. cap. 1. de sepult. n. 4. Silv. verb. Sepultura, qu. 8. dict. 2. lex 5. t. 13. p. 1.* cum igitur DD. illi sentiant hos peregrinos sepeliendos esse in Ecclesia Cathedrali, e consequenti sentiunt in ea percepturos esse Sacramenta. Sed hoc (inquam) non obstat; quia verius est non teneri ad Ecclesiam matricem confluere, sed posse in qualibet oppidi parochia Sacramenta percipere, quando in nulla parochia habitationem requisitam, ut censeatur illa propria, contraxerunt. Quia nullo jure probatur Ecclesiam Cathedralem esse communem totius diœcesis: & *c. Officium, de offic. archibresbyt.* quod id probare videtur, explicabitur hoc 3. lib. disp. 27. n. 2. & esto possent illuc confluere, nullo textu probatur ad id teneri. Et ita tenent *Abb. cap. 1. n. 1. de celebr. Miss. Enriq. l. 6. de pœn. cap. 8. num. 5. in comm. lit. P.* Ad idem sunt alii DD. asserentes non esse necesse hos peregrinos sepeliri in Ecclesia matrice. Sic *Hostiens. sum. t. de sepult. nu. 3. §. Et apud quam Ecclesiam, n. 6. vers. Quid de viatore, Arch. cap. 1. de sepult. num. 3. in 6.* ubi *Domin. §. Statuentes, n. 4. Francus init. num. 5. Abb. cap. 1. de sepult. num. 4. Henr. cap. Abolendæ, num. 7. cap. 11. Angel. verb. Sepult. n. 19. & ibi Armill. nu. 10. Lex 7. tit. 13. p. 1. & ibi Greg. Lop. verb. O en la Yglesia.*

18 Tandem infertur, mercenarios ad breve tempus locantes operas, ut ad fodiendum, &c. si vel carent parochia, vel si in sua patria habeant, distant ab ea, posse virtute bullæ, aut privilegiorum religionis, recipere Eucharistiam in Paschate. Prob. quia non acquirunt parochiam heri, cum ad breve tempus ibi contrahant moram. Præterea, quia non curatur de domo, in qua ad breve tempus sunt commoraturi: ut bene docet *Led. 2. p. 4. q. 7. ad fin. vers. Secundo dico.* Item, quia eadem est ratio de his, & de aliis advenis: nec dicitur habitare aliquis, ubi modico tempore habitat. Sic *Enriq. l. 6. de pœnit. c. 8. n. 5.* & licet ponat sub disjunctione, quasi utramque partem liceat amplecti: at *in comment. lit. K.* dicit, hanc esse valde probabilem.

19 Ad arg. contrariæ sententiæ proposita nu. 11. respondetur. Ad 1. *c. Is, qui* intelligi, quando ad modicum tempus est habitatio, & non per majorem anni partem: & ita dixisse, *Causa recreationis vel ad ruralia exercenda*: quæ non solent majori anni parte durare. Ad 2. dic, domicilium habentem non sumi ibi stricte, sed ut distinguitur contra hospitem, & peregrinantem. Ad confirm. dic caute dixisse Baldum de domo, quam raro habitabat: & præterea cum testator restrinxerit domos legatas, ea restrictione, quas inhabitat, sumi debere pro iis, quas frequenter habitabat. Ad 3. dic, amplectendo hanc secundam sententiam, dicendum esse, pro eo tempore non esse parochianum primæ parochiæ, sed secundæ, quam inhabitat: & ita aliqui DD. ex iis, quos n. 12. retuli pro 2. sententia explicuere. Quia tamen prior sententia valde probabilis est, potest quilibet eam amplecti, & juxta illam eligere domicilii proprii parochiam.

DISPUTATIO XXIV.

Utrum duplicem habitationis parochiam obtinens, possit indifferenter coram alterius parocho matrimonium inire?

SUMMARIUM.

Refertur quædam opinio negans admitti posse duplicem parochiam quoad matrimonium, n. 1.

Potest habens duplicem parochiam, æque utramque inhabitans, coram utriusque parocho matrimonio inire, & utrique confiteri, 2.

An requiratur æqualis habitatio mathematice in utraque parochia, 3.

An possit hic indifferenter ab alterutro parocho Sacramenta recipere, vel tantum ab eo, in cujus parochia tunc habitat: refertur opinio affirmans tantum ab hoc posse, n. 4. *& contraria*, 5.

Quando sunt duo parochi in solidum unius parochiæ, potest alter altero invito ministrare Sacramenta, n. 6. *& ibi, par in parem non habet imperium.*

1 Bonsius *apud Menochium consil. 398. vol. 4. nu. 7.* dicit non esse admittendam quoad matrim. contrahendum, duplicem parochiam. Et *Zephalus relatus eodem consilio, in quodam consilio, quod ibi ex ipso refertur, n. 21.* dubitans ait, fortasse posse dici dari duplicem parochiam quoad matrimonium.

2 Ceterum dicendum est, quando quis duplicem parochiam habitationis sortitur, quod tunc evenit, quando æqualiter in utraque habitat, ut in hieme in una, in æstate in altera, posse coram parocho utriusque matrimonium inire. Probat. 1. quia utraque est æque parochia istius, ut constat ex *c. 2. de sepult. in 6. ibi, Cum ab eo, qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in utroque.* Idemque habetur *l. Assumptio, §. Filius, & l. Ejus, qui manumisit, §. Celsus, ff. ad munic.* ergo non est major ratio cur alter solus parochus possit assistere matrimonio. 2. quia (ut dixi disp. præc. n. 10.) idem est parochus ad excipiendas confessiones, & ad assistendum matrimonio: sed uterque ex duob. illis parochis potest excipere confessionem illius, cum non sit major ratio de uno quam de altero, ut docent *gl. c. Cum nullus, de temp. ordin. in 6. verb. Domicilium, Hostiens. sum. t. de parochiis, §. penult. n. 7. initio, Abb. cap. Ad apostolica, fin. de decimis, & c. In nostra, n. 10. de sepult. Rosell. Confessio Secramentalis, 30. nu. 40. Ang. Confessio 3. num. 12. Silv. Confessor 1. qu. 4. fi. & qu. 12. Tab. Absolutio 1. num 41. Nav. l. 4. cons. 1. de cland. despons. in 1. edit. cons. 2. num. 3. in 2. cons. 6. n. 3. & c. Placuit, de pœn. d. 6. n. 77. Ant. Cuc. l. 5. instit. maj. t. 4. n. 186.* Et ex Theologis, *Palud. 4. d. 17. q. 3. a. 2. n. 17. & a. 3. nu. 20. Gabriel ead. d. q. 2. num. 3. dub. 2. D. Ant. 3. p. t. 17. c. 4. casu 2. Margarita confessorum fol. 9. colum. 2. Fr. Alex. l. 1. summæ, c. 3. de potest. confessor. 45. Enriq. l. 6. de pen. c. 7. n. 2.* ergo similiter uterque parochus poterit interesse matrimonio: & maxime quia omnes hi Doctores dicunt, eum esse utriusque parochiæ parochianum, atque ita uterque parochus erit proprius illius pastor.

3 Quod autem dixi, requiri, ut æqualiter in utraque habitet: non intelligas mathematice, sed morali modo, ita ut sit æqualis omnino, aut fere, habitatio: ut bene docet *Rosella Confessio sacramentalis 3. n. 40.* & clare significant *Palud. D. Ant. Sylv. Margarita,* ubi retuli n. præced. dicunt enim tunc aliquem duplicem sortiri parochiam, quando alteram hieme, alteram vero æstate inhabitat: quæ tempora non ita in puncto mathematico consistunt, ut omnino æqualia sint. Idemque significat *Ant. Cuc. l. 5. instil. maj. tit. 4. n. 186.* nam ubi dixit esse parochianum, habitantem æqualiter duplicem parochiam, subdidit, secus si alteram longe frequentius colat.

4 Difficultas autem est, an possit hic indifferenter coram alterutro parocho matrimonium inire? Nam communiter Doctores asserunt tantum posse ministrare sacramenta eum parochum, cujus parochiam tunc temporis suscepturus inhabitat: ut hyeme parochum parochiæ hyemalis, ubi tunc habitat, & e contra æstate. Ita *Palud. Gabr. D. Ant. Rosella, Angel. Sylv. Tabiena, Margarita, Anton. Cucus, Fr. Alexander,* quos retuli nu. 2.

5 At probabilius est, indifferenter posse utrumque parochum interesse matrimonio, & ministrare sacramenta. Prob. primo, quia

tno, quia ille utroque tempore habet duplicem parochiam: alias non verificaretur habere duo domicilia, contra *c.2. de sepult. in 6.* sicut qui certo tempore habitat in una parochia, postea que ad aliam transfertur, non dicitur habere duo domicilia: quia non simul utrumque sortitur, sed successive, modo unum, & postmodum alterum: ergo utroque tempore uterque parochus est proprius illius pastor, & proinde poterit illi ministrare sacramenta, 2. Prob. ex *cap. de sepult. in 6.* ubi expresse definitur, electa sepultura in diverso loco, a sortienti duplicem parochiam, inter utramque dividendam esse canonicam portionem: & non dicitur largiendam esse parochiæ inhabitationis tempore mortis, ergo similiter sacramenta possunt indifferenter utroque tempore recipi, ab ambobus parochis; cum æque canonica portio, ac sacramentorum receptio sint jura parochialia. Sic docent *Nav. c. Placuit, n.78. de pœn. d.6. Enriquez l.6. de pœn. c 7. n.* 2. qui bene addit, *in commento, lit. H.* dicens esse, ut recipiat ab eo parocho, cujus parochiam tunc inhabitat.

6 Tandem dum parochi duo in solidum alicui parochiæ præsunt, potest uter ex illis altero invito ministrare sacramenta, & interesse matrimonio, aliique assistendi licentiam dare. Quia par in parem non habet imperium. *c. Innotuit, de electione, & l. Ille a quo, §. Intempestivum, ff. ad Trebellia.* Sic *Sylv. Confessor 2. q. 4. par. 2.*

DISPUTATIO XXV.

Quis sit proprius vagorum parochus, ut illos matrimonio conjungat? & qui vagi dicantur? & qua diligentia præmissa conjungendi sint?

SUMMARIUM.

Vagi an dicantur carentes domicilio habitationis, licet habeant originis num. 1.
Quid de iis, qui pristinum domicilium deserentes navigant, vel iter faciunt, quærentes ubi sedem figant, 2.
Quid, si destinaverunt, ubi domicilium constituturi sint, & reliquerunt prius, an dum non pervenere ad locum domicilii novi, dicantur vagi, 3.
Qui relicta priori parochia, non destinavit ad quam migraturus sit, sed quærens domum interim hospes est in aliqua parochia, an dicatur vagus, 4.
Vagi an possint cuicumque parocho fateri, & ubicumque puniri pro delictis alibi commissis, 5.
An teneantur fateri parocho, in cujus parochia hospitantur: refertur opinio affirmans, nu.6. Et contraria verior, 7.
Vagos, & forenses an possit parochus matrimonio conjungere absque Ordinarii licentia, 8.
Quid, si alter solus sit forensis, vel vagus, 9.
Quis sit hic Ordinarius, a quo parochus est petiturus licentiam, 10.
Quis parochus possit matrimonio vagorum assistere, & quid, si in fraudem, propriam parochiam reliquerint, vagique effecti sint, 11.
Quid, si alicubi esset deputatus confessor pro vagis, an solus ille poterit eorum matrimonio assistere, 12.
Si quis domicilium deserens iter agat, aut naviget, ut novum acquirat, vel deserta priori parochia, dum domum quærit, hospitatur ad breve tempus in aliquo loco, coram quo parocho possit matrimonium inire, 13.
An si alter vagus, alter vero incola sit, possit quilibet parochus eos matrimonio conjungere, an solus proprius incolæ parochus, 14.
An quilibet parochus possit licentiam valide dare cuicumque sacerdoti assistendi matrimoniis vagorum, 15.
An peccet mortaliter parochus, vagos, vel forenses matrimonio conjungens, absque licentia Ordinarii, non servato præcepto Tridentini, sess. 24. de matr. c. 7. n. 16.
An valeat matrimonium sic contractum coram parocho, vel alio sacerdote de ejus licentia, non servato dicto præcepto Tridentini, n. 17. *Et ibi remissive, qualiter possint religiosi assistere matrimonio vagorum, vel aliorum, in novo orbe.*

1 PRæmittendum est, qui dicantur vagi? Hi enim dicuntur, qui nullibi certam, ac constantem sedem, ac domicilium habent, sed hinc inde vagantur. Sic habetur *l. Ejus, qui manumisit, 27. §. fin. ff. ad mun.* & docent universi DD. quos referam nu seq. Quare merito reprobanda est sententia aliquorum, qui teste *Julio Claro l.5. receptarum in practica crim. §. fi. q.39. vers. Sed hic quæro quis dicatur vagabundus*, ajunt exigi etiam, ut aliqui vagi dicantur, carere domicilio originis. Sed bene id reprobat ibi, quia necessarium esset vagorum civitatem funditus esse eversam: unde concludit, satis esse, ut dicantur vagi, si domicilio habitationis careant. Idem docent *Immola, c. Dilectus, n.10. de rescript. & c. fi. n.15.* de eo, qui mittitur in possessionem, *Marianus c. finali, n.57. de foro compet.*

2 Dicuntur etiam vagi, qui pristinum domicilium omnino deserentes, navigant, vel iter faciunt, quærentes, ubi se collocent: hi enim sine domicilio sunt, ob idque vagi dicuntur. Sed habetur expresse *l. Ejus, qui manumisit. 27. §. Celsus, ff. ad municip.* & docent *gl. c.2. de sepult. in 6. verb. Domicilia, Goffredus sum. t. de pœn. & remiss. n.17. Host. sum eo. t. §. Cui confitendum, n.14. vers.4. Cum quis quærit, Jo: Andr. c. Omnis utriusque sexus, de pœn. & remiss. n.13. & ibi Henric. n.24. Jac. de Zochis ibi, n.113. Turrecr. c. Quem pœn. de pœnit. d.1. a.3. nu.6. Rosell. Confess. sacramentalis 3. n.31 Sylv. Confess. 1. q.6 vers.4. Tabiena Absolut. 1. nu. 41. Lex. 22. t.4. p.1. & ibi Greg Lop. verb. Donde more, Nav. c. Placuit, de pœn. d.6. n.75. & 82.* Et ex Theologis, *Ricard. 4. d.17. a.3. q.1. corp. Palud. ea d. q.3. a.3. n.22. D. Ant. 3. p. t.17. c.4. cas.4. Led. 2. p.4. q. 7. a.5. ad finem, vers Secundo dico, Frater Alexander. l.1. sum. c. 3. de potest. confessoris, n.54. fin. Enriq. l.11. de matr c.3. nu.3*

Verum hi DD. non satis explicant mentem: nam videntur loqui in casu, in quo nondum iter faciens animo destinavit locum, in quo domicilium est collocaturus: quod significant ea verba, quibus textus, & DD. citati utuntur, nimirum: quærens domicilium, ubi se collocet, quasi nondum statuerit, ubi sit collocaturus. Quare jure optimo dubitabit aliquis, an qui relicto priori domicilio iter faciat ad locum, in quo domicilium constituere destinavit, censeatur vagus dum relicto priori domicilio iter agit? Et credo vagum dici, idque sentire textum citatum, & DD. nam eam rationem addunt, cur vagus sit, quia sine domicilio est; ut patet ex *d. l. Ejus, qui manumisit, in fine*, ibi, *Nam hunc primum puto sine domicilio esse.* Et n. 1. dixi vagum appellari, qui nullibi certam sedem, & domicilium habet: sed qui relicto priori domicilio iter agit ad locum, ubi figere pedem decrevit, dum est in via, caret domicilio: ergo erit vagus. Probatur minor, quia prius domicilium, cum animo, & facto ipso deseruerit, jam omnino perdidit: posterius autem nondum acquisivit cum solo animo absque facto ipso, id est, actuali habitatione, comparari nequeat: (ut probavi hoc 3. l. disp.23. n. 2.) Cum ergo hic sine domicilio sit, erit vagus. Et ita videtur clare tenere *Enriq. l. 11. de matr. c. 3. n.* 3. ubi hæc inquit, vagus dicitur, qui pristinum domicilium omnino deserens, amisit, & iter agit, aut navigat, animo acquirendi novum. 3

Hinc infertur, qui relicta parochia, nondum statuit ad quam migraturus sit, sed quærens domum, interim in aliqua parochia hospitatur ad breve tempus, dicit vagum, respectu parochiarum illius oppidi. Quia non curatur de parochia, in qua ad breve tempus hospes est, non enim ibi censetur habitare, *l. 1. §. Hæc autem verba; ff. de his, qui dejecerunt*, ibi, *Hospes plane non tenebitur, qui ibi non habitat, sed paulisper hospitatur.* Præterea quia non est major ratio de una, quam de alia, ut dicatur propria parochia, tandem quia hic sine parochia est, priorem enim amisit, & nondum aliam acquisivit. Et ita videtur expresse tenere *Ledes. 2. p.4. q.7. a.5. ad fi. vers. Secundo dico*, ubi ait, de novo advenientes ad certum oppidum, qui nondum habent domicilium, nec statuerunt, ubi morabuntur censeri vagos, nec oportere respicere, ubi hospitentur ad breve tempus. Idem dicendum est, quando relicta priori parochia, ad aliam se transferunt, & dum domus illa ad quam se transferunt impeditur habitatore, hospitantur in aliqua domo alterius parochiæ; hi enim vagi sunt similiter: quia revera nullam parochiam habent; cum pristina deserta sit, & nova nondum sit habitatione cœpta acquiri: ut in simili probavi num. præc. 4

2. Præmittendum est, vagos posse cuicumque parocho fateri. Quia non est major ratio de uno, quam de alio, cum nulli fundantur. Item, quia ubique sortiuntur forum, possuntque pro delictis alibi commissis puniri: ut docent *gl. l. Heres absens, verb. Debebit, ff. de judiciis, & ibi Bart. §. Proinde, n.4. Marianus c. Licet ratione. nu. 57. de foro compet. Duennas* multis citatis, *reg.378. lim. 4 Jul. Clar. l. 5. receptarum. in pract. crim. §. fi. q.39. vers. Ceterum, Avenda. c. prætor, 2. p. cap.7. num.4. Decianus pract. crim. l.4. c.13. num.5. Bossius pract. t. de foro compet. num.70. Brunorus in suo compend. verb. Vagabundus*, ergo similiter ubique sortiuntur forum conscientiæ. Sic *Goffredus sum. t. de pœn. & remiss. num.17. Host. sum. t. de parochiis, §. penult. n.7. vers. Viator. Henricus c. Omnis utriusque sexus, de pœn. & remis. n.24. & ibi Jac. de Zochis num.113. Rebuf. c. Extirpandæ, §. Qui vero, de præb. vers. Secundus casus est in vagabundo: f.385. Rosella Confessio sacramentalis 3. nu.81. Ang. Confessio 3. nu 9. Sylv. Confessor 1. q.1. & 6. Turrecremata c. Quem pœn. de pœn. d.1. art.3. n.6. Tabiena Absolut. 1. n.141. q.21. l.22. tit.4. p.1. Nav. cap. Placuit, de pœn. d.6. num.79 & 80.* Et ex Theologis, *Ric. 4. d. 17. a. 3. q.1. corp. & ibi Gabriel q.2. art.3. dub.2. Palud. ibi, q.3. a.3. num.21. D. Ant. 3. p. t.17. c.4. casu 3. Caj. sum. verb. Absolutio ex parte absolventis, §. Libertas. Victoria sum. de confess. num. 155. Petr. de Soto lect.5. de confession. §. Sed est in speciali casu, Ledes. 2. p. 4. qu.7. a.5. ad fi. Margarita Confessorum f.9. col 2. Fr. Alexand. 1. p. sum. c.3. de potestate confessoris, num. 48 Enriq. l. 6. de pœn. c. 8. nu.5. Bart. a Ledes. dub. 23. de pœn. casu 2. Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 60. num. 7.* Quare minus bene *Card. d. c. Omnis utriusque sexus, num.6.* dixit, nulli posse hos fateri, nisi legato Pontificis. 5

Non tamen clare constat inter hos DD. an dum vagus hospitatur in aliqua parochia obiter, teneatur in ea recipere sacramenta. Nam ex DD. nu. preced. allegatis, *Hosten. Rebuf. Ang. & Gabriel.* dicunt intelligi vagos parochianos cujuslibet Ecclesiæ, ad quam accedunt: & clarius *Petro de Soto* ait subditos esse parocho, in cujus parochia inveniuntur: & *Enriquez* sub disjunctione ait, debere confiteri cuicumque parocho, vel (ut alii dicunt) parocho, in cujus parochia hospitantur. 6

Sed melius *Ricard. Palud. D. Ant. Caj. Turr. Tab. Victoria, Nav. num. 80. Ledes. Lex. partitæ, Margarita Confessorum, Barth. a Ledes.* quos retuli *n. 5. & Palac. 4. d.17. disp. 7. f. 269. fine, & seq. Enriq. l. 11. de matr. c. 3. n. 3.* dicunt, posse fateri cuilibet curato diœcesis. Quia non est major ratio de uno, quam de alio: nec curandum est de loco hospitii ad breve tempus, ut dixi nu. 4. 7

xi nu. 4 non enim acquiritur parochia per talem habitationem: ut dixi hoc l. 3. disp. 23. num. 12.

8 His præmissis, sit 1. conclusio, parochus non potest vagorum matrimonio interesse, nisi diligenti inquisitione præmissa, & obtenta Ordinarii licentia. Sic habetur expresse in *Trid. sess. 24. de matr. c.7.* quod quidem decretum quamvis de vagis sermonem faciat, at ob rationis identitatem, necessario comprehendit etiam alienigenas, alibi habentes fixum domicilium: nam ad matrimonium horum in loco, ubi fixam sedem non habent, eadem diligens inquisitio, Ordinariique licentia præmittenda est. Tum, quia eadem prorsus ratio militat, cum enim ignoti sint, possunt alibi matrimonio vincti esse, quæ fuit ratio explicata in eodem decreto Tridentini, tum etiam, quia olim usus obtinuerat, ne forenses ignoti matr. copularentur, absque literis testimonialibus, sui Episcopi: ut refert *Abb. antiquus c. fi. de cland. de spons. & ibi Jo: Andr. n.5. ad fi. Panormit. n.7. ad fi. idem Jo: Andr. c. fi. n.2. de eo, qui duxit in matr. Greg. Lop. l.1. tit.3. verb. En la Yglesia, p.4.* Ita docent *Manuel 1. t. su.2. edit. c 219. n.3. Segura directorio jud. 2. p. c.16. n.18. fine*, ubi bene hoc temperat, nisi forensis ea ætate in locum contractus advenit, qua minime poterat matr. inire: tunc enim solius parochi auctoritate matrimonio conjungetur: quia prorsus cessat ratio assignata in decreto Tridentini, Intellige tamen, non de quibuscumque vagis: Tridentinum enim in eo decreto loquitur de iis, qui vagantur, & incertas habent sedes: quare licet illi, qui de certa parochia intra idem mutantur oppidum, dicantur vagi, dum ad aliam parochiam translati non sunt, sed ad breve tempus alibi hospitantur: ut dixi n. 4. manifestum est de illis non loqui Tridentinum: quia non sunt vere vagantes, & incertas habentes sedes. Præterea in illo oppido noti sunt: quare præmissis denuntiationibus in parochia, ubi diutius habitarunt, juxta dicta hoc 3. l. disp. 6. nu. 6. possunt absque licentia Ordinarii a proprio parocho matrimonio conjungi.

9 II. Conclusio, quando alter solus ex contrahentibus vagus, aut forensis est, requiritur eadem diligens inquisitio, & licentia Ordinarii. Quia periculum cui Tridentinum occurrere intendit, omnino militat, quando alter vagus, aut forensis est, respectu illius. Et ita quando alter est vagus, affirmat *Veracruz append. ad speculum, f. 86. §. Attendendum videtur.*

10 Hic autem Ordinarius, cujus licentia petenda est, erit Episcopus, vel ejus generalis vicarius: ut bene docet *Verac. append. ad spec. f.86. § Quod dictum est*: & idem dicendum est de vicariis aliorum prælatorum habentium jurisdictionem quasi Episcopalem: hi enim omnes Ordinarii sunt, & nomine Ordinarii comprehenduntur: ut dicemus hoc 3. l. disp. 29. nu. 4. & 5.

11 III. Conclusio, quicumque parochus potest matrimonio vagorum interesse. Probatur, quia idem est parochus ad audiendas confessiones, & assistendum matr. ut dixi hoc 3 l. disp. 23. num. 10. sed quicumque parochus potest horum confessiones audire, ut probavi hac disp. n.5. ergo eorum matrimonio assistere. Item quia non est major ratio de uno parocho, quam de alio, cum nullam certam parochiam habeant. Sic tenet *Enriq. l.11. de matr. c.3. n.3.* idem consequenter docent alii, dicunt enim, eum parochum debere horum matr. interesse, a quo si vellent, deberent sacramenta recipere: nam cum a quolibet recipere possint sacramenta, consequenter tenentur dicere quemlibet parochum diœcesis posse horum matrimonio interesse. Hi sunt *Petr. de Led. de matr. q.45. a.5. punct.3. post dubium 4. §. Dico tertio, f.193. Manuel 1. t. sum.2. edit. c.219. n.3.* dicens sic esse a Cardinalibus declaratum: *Bart. a Ledes. de matr. dub.21. f.1332. §. Annotare oportet, Vega l.3. su. casu 225.* Limitant *Bart. a Ledes. & Vega*, nisi in fraudem proprii sacerdotis dereliquissent domicilium. Verum hæc limitatio non mihi placet, quia non est fraus, dum quis utitur jure suo, ut probavi hoc l.3. disp.8. nu.22. Quare si vere domicilio relicto, quamvis in fraudem proprii parochi, facti essent vagi, possent coram quovis parocho matrimonium inire: sicut mutantes parochiam in fraudem parochi, possunt matrimonio copulari a parocho novæ parochiæ.

12 Si tamen esset alicubi confessor pro vagis deputatus, (ut fertur esse in Compostella) ille deberet eorum matrimonio interesse. Quia is solus esset illorum proprius sacerdos in eo loco. Sic *Spino speculo testam. gl.15. n.4.* Hoc tamen intelligo, quando ex privilegio Pontificio ita esset deputatus pro vagis, ut nullus alius posset. Nam sola Episcopi deputatio non potest libertatem tollere, quam jure communi habent vagi non subditi Episcopo, ad eligendum parochum, cui subsint. Et quamvis negare non possit, posse Episcopum ex justa causa reservare parochis confessiones vagorum, auferendo jurisdictionem, sicut potest reservare alios casus: & ita ratione hujus reservationis non possent audire confessiones vagorum, possent tamen illi eligere alium parochum non subditum huic Episcopo: nec credo per simplicem deputationem alicujus, qui audiat confessiones vagorum, & prohibitionem ne alius audiat, censeri sublatam jurisdictionem: quia *Trident. sess. 24. de matr. c.7.* prohibuit parochis, ne vagorum matrimonio intersint absque licentia Ordinarii: valide tamen intererunt ea omissa: ut dicemus num. 17.

13 Hinc infertur, si quis pristinum domicilium omnino deserens iter agat, aut naviget, animo acquirendi novum domicilium, dum nondum acquisivit, incipiens habitare, posse eum coram quocumque parocho contrahere matr. Quia est vagus, & nulli subditus: ut probavi nu. 2. Item quia potest cuicumque fateri, tanquam vagus: ut diximus n.5. & 6. ergo & coram quocumque parocho contrahere matrimonium. Unde nescio cur *Enriq. l. 11. de matr. c.3. n.3. in comm. lit. C.* id concessit de confessione, & negat de matr. dicens non tam facile acquiri domicilium pro matr. si enim est vagus, potest cuilibet parocho subjici, eritque proprius illius pastor: ergo sicut audire ejus confessiones potest, sic & matr. assistere. Similiter dum non habet parochiam, quia primam deseruit, & quærit aliam, & ad breve tempus hospitatur in aliqua, potest coram quocumque parocho illius oppidi contrahere: quia est vagus respectu parochiarum: ut dixi nu. 4.

2. Infertur, si alter sit vagus, alter vero incola, posse quemlibet parochum eos matrimonio conjungere: quia ad valorem matrimonii, juxta dicta hoc 3. l. disp.19. n.4. sat est quilibet contrahentium parochus, sed quilibet est parochus vagi, ergo quilibet potest eos matr. conjungere. Hoc est contra *Petr. de Ledes. de matr q.45. a.5. circa 3. punct. post 4 dub. fol.193. col.1. §. Dico tertio, si alter est vagus*: ubi ait, si alter tantum vagus sit, requiri præsentiam proprii parochi non vagantis. 14

Et sicut quilibet parochus, cui vagi se subjicere vellent, posset eos matrimonio conjungere, ita posset dare licentiam alii sacerdoti eos conjungendi: utrumque enim est proprii parochi munus, & parochus, qui potest assistere matrimonio, potest etiam licentiam alii sacerdoti assistendi concedere: juxta *Trid. sess. 24. c. 1. de matr.* Sic *Petrus de Ledesm. citatus num. præced. eod. fol. 193. §. Dico tertio.* 14

IV. Concl. parochus, qui vagos non servato decreto *Trid. sess. 24. de matr. c.7.* nempe non præmissa debita diligentia, & licentia Ordinarii, matrimonio conjunxerit, peccabit mortaliter. Prob. quia violat Tridentini præceptum in re gravissima, & valde necessaria. Item, quia est suspendendus triennio, per *c. finale de clandest. despons.* ut inter pœnas parochi dicemus. Sic *Petr. de Ledes. de matr. q.45. a.5. circa 3. punct. post dubium 4. f.193. §. Dico secundo, vers. Hinc sequitur.* Et *Enriq. l.11. de matr. c.3. n.* 3. ait peccare, subticet tamen, an sit mortale: & *Veracruz append. ad specul. f.85. §. Ecce quo pacto*, dicit esse peccatum grave. Similiter etiam peccabit mortaliter sacerdos, qui sola parochi licentia vagorum matrimonio interfuerit: cum violet idem præceptum Tridentini exigentis licentiam Ordinarii. Sic *Petrus de Ledesma ibidem, §. Dico tertio.* Idem dicendum est de conjungente forenses, aut quando alter tantum est forensis, absque prædicta licentia, & diligentia. Nam (ut dixi num. 8.) decretum Tridentini obligat etiam in hoc casu. 16

Ultima conclusio, valeret tamen matr. vagorum, contractum coram parocho, non præmissa dicta diligentia, nec Ordinarii licentia petita. Quia pro matr. essentia tantum desideratur præsentia parochi, & duorum testium. 2. quia ad eumdem finem exigitur hæc diligentia pro vagabundis, *d. c.7. Trid.* ad quem *eod. Trid. sess. 24. c. 1. de matr.* petuntur pro indigenis denunciationes: sed his omissis valet matr. ergo illa diligentia omissa. Tandem, quia *Trid. d. c.7.* non prohibet absolute matrim. absque dicta licentia: sed præcipit parochis, ut diligentiam præmittant, licentiamque petant: ergo ejus omissio culpa erit, non tamen vitiabit matr. maxime quia (ut dicemus hoc 3. lib. disp. 32. n. 2.) id speciale est in matr ut ex simplici prohibitione, absque decreto irritanti non censeatur annullari. Sic *Veracruz append. ad specul. f.86. §. Et consideratione dignum Enriquez*, dicens sic declaratum esse a Cardinalibus, *l.11. de matr. c.3. n.3 Petr. de Led. de matr. q.45. a.5. punct.3. post dubium §.4. Dico tertio, f.193. Albornoz de arte contract. l.4. t.1.* Et idem dicendum est, si alius sacerdos solius parochi licentia obtenta, intersit tali matr. peccabit enim, (ut dixi numero præcedenti) valebit tamen matr. eadem ratione. Sic *Petr. de Ledes. ibid.* Quod si objicias, videri invalidam licentiam parochi, contra præceptum Tridentini: respondebo hoc 3. disp. 32. n.2. & 3. Quid autem possint religiosi circa horum vagorum matrimonium, dicam disp. seq. 17

DISPUTATIO XXVI.

Qualiter possint religiosi in novo Indiarum orbe matrimonio assistere absque parochi licentia, & quid possint circa vagos?

SUMMARIUM.

Si curam animarum gerunt in locis a suis superioribus designatis, possunt subditos matrimonio conjungere, nu. 1.
Id possunt, licet subditi non sint indigenæ, si ibi habitent, 2.
Possunt etiam ibi vagos matrimonio conjungere, 3.
Possunt etiam circa transeuntes illac, licet vagi non sint, si parocho careant, imo & quicumque sacerdos per eorum domicilium transiens, n. 4. *Et a quo, & qualiter sit impetranda dicta licentia. Et an possit eam auferre Episcopus.*
Si Indi proprium parochum habeant, & absens sit, religiosi alibi ministerium parochi obeuntes, & illac transeuntes non possunt illorum matrimonio interesse, 5.
An ad conjungendum matrimonio vagos teneantur hi religiosi licentiam ab Ordinario petere? refertur opinio negans, n.6. Et ibi privilegii verba aliquid operari debent, nec in eo etiam una syllaba debet esse superflua.
Opinio verior, indigere prædicta licentia, nu.7. Et ibi, per nullam generalem clausulam censetur delegatum concilio generali, nisi de eo specialis mentio fiat: & si consilium sit modernum, non sufficiet generalis derogatio concilii.

PRima conclusio, religiosi ministerium parochi obeuntes in novo Indiarum orbe, in locis signatis, vel signandis a suis 1
supe-

superioribus, possunt absque alia Ordinarii licentia, matrimonio conjungere sibi subditos. Quia habent ad hoc privilegium Pii V, quos refert *Verac. append. ad specul. fine*. Sic *Veracruz ead. append. f. 90. post 4. conclus. §. Secundo si possent*, qualis autem debeat esse licentia, dicam num. 4.

2 II. Conclusio, similiter possunt conjungere matrimonio, non indigenas, si in eis locis taliter habitent, ut parochiani efficiantur, (qualis autem debeat esse hæc habitatio, dixi hoc 3.l.disp.23.n.13.) Prob. quia possunt conjungere subditos, hi autem subditi sunt. Sic *Veracruz append. ad specul. f.88. §. Prima propositio*. Et hoc pacto intelligendus est *Manuel q. reg. t. 1. q. 35. art. 5. not 3.* ubi ait, posse hos religiosos in suis oppidis conjungere matr. omnes Indos.

3 III. Conclusio, possunt etiam ibi conjungere matr. vagos. Quia ii subditi sunt cuicumque parocho, cui se submittunt: ut dixi disp. præced. num. 21. Sic *Veracruz ibi, §. Secunda propositio*.

4 IV. Conclusio; eos, qui in locis, ubi religiosi munus parochi obeunt, non habitant, nec vagi sunt, sed habent proprium domicilium, carent tamen proprio parocho, possunt religiosi per eorum domicilium transeuntes, matrimonio conjungere. Probatur, quia in privilegio Pii V. religiosis concessio, quod retuli nu. 1. dicitur, ut possint religiosi assistere matrimonio, sicut hactenus consueverunt, & ante Tridentinum, ex amplissima concessione Leonis X. & Adriani VI. quas refert *Veracruz in fin. append.* poterunt religiosi in novo orbe prædictis ministrare sacramenta omnia. Item, quia in privilegio conceditur expresse, ut possint matrimonio assistere, ubi contigerit religiosos esse de licentia suorum prælatorum. Item, quia alias manerent tales destituti ministerio sacramentorum. Sic *Veracruz append. ad speculum, f.89. §. Tertia propositio*. Imo *Enriq. l. 11. de matr. c.3. n.5. in commento. lit. R.* ait ex tacita licentia Papæ idem posse alium sacerdotem apud Indos, ubi non adest proprius parochus. Licentia tamen hæc concedi debet religiosis a suis prælatis, in capitulis provincialibus: sic enim habetur expresse in dicto privilegio Pii V. quare non poterunt gaudere dicta potestate religiosi non habentes capitulum provinciale in illis locis. Sic *Manuel q.reg.t.1.q.25.a.1.notab.1.* Nec fratribus alterius provinciæ potest capitulum provinciale committere hanc potestatem: ut bene advertit *Manuel ead.q.35.a.4.* quia illi religiosi non subduntur illi capitulo. Non tamen erit necessarium fratres personaliter præsentari, nec nominatim designari a capitulo: sed poterit capitulum provinciale decernere, ut omnes fratres quos designaverit provincialis, vel prior, vel vicarius, &c. ex tunc sint designati ab ipso capitulo provinciali: quia hoc non est delegare potestatem assignandi fratres, & conferendi illis facultatem ministrandi sacramenta, sed re vera ipsum capitulum assignat, & confert prædictam licentiam: ut probabimus hoc 3.l.disp.31.n.18. Ita *Manuel ead.q.35.a.5.* Nec capitula provincialia, sine alia licentia possunt assignare oppida fratribus, ad prædictam potestatem exercendam: nisi Episcopus, vel prorex, vel gubernator oppidi concedat fratribus illa: & tunc capitulum provinciale commendat fratri curam illius oppidi: ut probat *Manuel d.q.35.a.1.fin.* Et in oppidis assignatis his religiosis non possunt Episcopi aliquid innovare, vel in assignandis, auferendo jurisdictionem: quia ea est concessa per Pontificem. Sic *Manuel eadem q. 35. art. 6.*

5 V. Conclusio, si Indi parochum proprium habeant, quamvis absens sit, religiosus in alio loco parochi ministerium exercens, & illac transiens, non potest assistere horum matrimonio. Quia privilegium Pii V. conceditur religiosis habentibus curam animarum, in locis signatis, vel signandis a suis superioribus, sed locus per quem religiosus transit, si habet proprium ministrum, & absentem, non est signatus, cum jam parochum habeat: ergo nequit religiosus transitum per illum locum faciens, assistere tanquam parochus matrimonio. Sic *Veracruz append. ad speculum f. 90. §. Quarta propositio*.

6 Dubium tamen est, quando hi religiosi conjungunt matrimonio vagos, teneantur petere licentiam ab Ordinario: ut disponit *Trid. sess. 24. de matr. c.7. Veracruz append. ad specul f.88. §. Secunda propositio*, ait teneri diligentem inquisitionem præmittere, qua præmissa posse illos auctoritate propria, absque Ordinarii licentia matrimonio copulare. Prob. 1. quia privilegium Pii V. dicit, ut possint illis sacramenta ministrare, prout hactenus consueverunt, sed ante Trid. hoc copulabant, sine alia Ordinarii licentia, ex privilegio Leonis X. & Adriani VI. ergo & modo poterunt. 2. quia in dicto privilegio Pii V. dicitur, Ordinariorum locorum, & aliorum quorumcumque licentia minime requisita; ergo si requiritur licentia Ordinarii, nihil novum continerent hæc verba: cum tamen privilegii verba aliquid operari debeant, *c. Abbate, de verb. signif vers. Contra quos facit*, ibi, *Cum privil. sit lex privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret*. Et superfluitas in lege, aut decreto vitanda est. *c. Si Papa, de privil. in 6.* ibi, *Cum verba aliquid operari debeant*. Et *l.3. in princ.* ibi, *Nec frustra adjicitur. ff. de jurejur.* Quod adeo verum est, ut non solum verbum, & quælibet dictio, non debeat esse, sine effectu aliquod operandi, sed etiam quælibet syllaba: ut bene docent *Glossa, cap. Solitæ, v. Tanquam de majorit. & obed. Staphileus de lit. gratiæ, t. de vi, & effectu clausulæ, §. 1. n.9. Simon de Prætis de interpret. ult. vol. l. 2. interpret. 3. dub. 2. solut. 5. quæ incipit, Quinto generaliter*.

7 Sed hæc sent. non placet. Petendaque est licentia ab Ordinario. Primo, quia privilegium Pii V. in nullo derogat Tridentino, ut patet ex clausula derogatoria ibi posita, cum tamen oporteret expresse derogare: non enim censetur derogatum concilii generalis decretis, nisi expressa mentio fiat, his verbis. Non obstante aliqua lege, aut constitutione in concilio generali edita: ut colligitur ex *c. Ex parte, & c.ult. de capellis monachorum: & c. Eam te, de ætat. & qual. c. Nonnullis, de rescript.* & tenent *Arch. c.1.de const. in 6. Felinus d.c.Nonnulli, n.3. Selva beneficiorum 3. q.11.n.31. Parij.cons.2.n.30.l.2. Nav.su.Lat.c.27.n.267 Jacobat.l.5. de conciliis, a.18. Alaba de conciliis p.1.c.2. Cav.4.var.c.16.n.6.& 4.decr.2.p.c.8.§.9.n.6.* dicens totum mundum hoc amplecti. *Mandos reg.19.cancell.q.16.n.12. Ancil. Germonius de indultis Cardin. §. Per quæ sublatis, n.58.* & multi, quos hi referunt: *Cordub. l. 4. quæstionarii, q.9.§.Tertia pars. Sarmiento l.3 select.c.14.n.3. Menoch.cons.294.n.11.& 12.vol.3. Padilla.l.fi.C.de divers. rescript. n. 17. Guttier.l. Nemo potest, ff.de legatis, 1.n.173. Grat. reg.291.n. 4. Cavalc.1.p.dec.29.n.16. Enriq.l.7. de indulg.a.26. n.3. P. Molina t.1.de just.tr.2 disp.17; f.988. Vivald. Candel.3.p.c.12.n.22.* & ratio est, quia cum decreta concilii ita matura deliberatione sancita sint; videntur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora contraria, nisi de illis specificam faciant mentionem. Imo si concilium generale modernum sit, quale est Tridentinum, oportet etiam illius mentionem facere, nec sufficiet generalis derogatio decretorum cujuscumque concilii: ut bene docent *Enriquez, & Vivald. ibidem*. Et si dicas colligi ex mente Pontificis velle derogare Tridentino, quia in principio motus proprii mentio fit de illius decreto, ratione cujus non permittitur religiosis interesse matrimonio: & quando ex conjecturis constat de voluntate derogandi, sufficit, licet forma clausulæ derogatoriæ observata non sit, Ut docent *Sarmiento l. 3. Select. c. 14. n. 7. & Enriq. l. 7. de indulg. c. 26. n. 3. & in alio simili, Cov. rubr. de testam. 2.p.n.19.vers.4.conclus. & Jul. Clarius* dicens esse communem *l. 3. recep. §. Testamentum, qu. 99. vers. Ceterum*: & ratio est, quia revocatio pendet a voluntate Pontificis, qualitercumque de ea constet. Sed hoc non obstat, quia id non colligitur ex mente Pontificis: tum quia clausula derogatoria nullam mentionem concilii generalis facit, sed synodalis, aut provincialis: tum etiam, quia ea confessio non est contra Tridentini decretum, nam *sess. 24. c. 1. de matr.* tantum statuit, ut nullus intersit matr. nisi parochus, aut alius sacerdos de parochi licentia: Pontifex autem concedit facultatem superioribus religiosorum, ut destinent parochos pro locis Indorum, qui administrent sacramenta absque licentia Ordinarii, unde nihil est contra illud decretum, quia dum assistent tales religiosi fungentes officio parochi, re vera parochi intersunt matrimonio, juxta decretum Tridentini: non enim est alius parochus in illis locis: nec obstant ea verba privilegii, *Sicut antea consueverunt*: id enim tantum significant, ut sicut antea non indigebant licentia parochi, aut Ordinarii ad assistendum matrimonio, ita nec modo indigent, sed possunt tanquam veri parochi interesse: non autem operantur, ut in casu specialissimo, in quo ob justissimam rationem petit Tridentinum Ordinarii licentiam, ut in matrimonio vagorum ea non exigatur: cum dum assistunt matrimonio quicumque parochi, ea licentia desideretur. Tandem, quia esto dicamus derogari Tridentino, non sunt concedenda duo specialia, contra *l.1.C.de dot.promiss.* Alterum, ut sine licentia parochi, aut Ordinarii Regulares matr. intersint, quod citra privilegium non possent: nam per *Tridentinum d. c. 1.* sublata essent priora privilegia; Alterum vero, ut in hoc casu speciali, ubi etiam proprii parochi indigent Ordinarii licentia, ea pro religiosis non desideretur. Et per hæc patet ad argumenta contrariæ sent. proposita nu. præced.

DISPUTATIO XXVII.

An archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis possit interesse matrimonio in tota diœcesi?

SUMMARIUM.

Refertur opinio affirmans esse parochum totius diœcesis, & posse quæcumque sacramenta in tota illa ministrare, num. 1.
Verior opinio contraria, 2.

VIdetur posse. Quia est parochus totius diœcesis, censeturque Episcopi vicarius in hoc, ut possit excipere 1
confessiones omnium illius diœcesis: ut probatur ex *cap. Officium, de officio archipresbyteri*, ubi inter ejus officia numeratur, eorum, qui foris adveniunt, confessiones audire: quasi illi cum parochia careant, debeant ad communem totius diœcesis confluere. Atque ita Ecclesiam cathedralem esse communem totius diœcesis, ita ut possit archipresbyter illius omnibus diœcesis sacramenta ministrare, docent *gl.c.2. de pœn. & remiss. in 6. verb. Subdito, & ibi Arch. fi. Franc. ibi, num.7. idem gl. d. c. Offic. verb. A foris, & ibi Hosp. super v. Confessiones, & sum. t. de sepult. §. Et apud quam Ecclesiam, n. 5. fin. vers. Ideo non videtur: Jo. And. d. c. Offic. fin. & ibi Ant. num. 11. Card. ibi opposit. 2. & c. Omnis utriusq; sexus, de pœn. remis. n.5. & c. 1. de sepult. n.5. q.3. & Clem. Dudum, de sepult. §. Extra civ. q.5. ubi Ancb. §. Statuimus, q.5. d.3. vers. Sed de illis; & d. c. Offic. fi. ubi Abb. n.1. circa gl. fi d. c. Omnis utriusque sexus, n. 12. & Clem. 1. de privil. n. 11. Immola d. Clem. Dudum, nu. 34. & Ripa tr. de remediis*

ad

ad curand. pestem, §. Sed quia usu videmus, nu. 32. Rebuf. in repet. d.c. Omnis utriusque sexus, verb. Proprio sacerdoti, vers. Idem Arch. Rosell. verb. Archipresbyter, num.1. ubi Sylv. q. 1. Ang. n.1. Tab. init. Arm. num.3. idem Rosell. Absolutio 1. nu.43. & Confess. sacramentalis 3. num.1. Ang. Confess. 3. num. 3. Sylv. Confessor 5. qu. 1. vers. 5. & 6. Tabiena Absolutio 1. num. 31. not. 14. Greg. Lop. l.21. verb. Otro perlado, t. 4. p. 1. Ant. Cucus l. 5. inst. major. t.4. num. 168. Gutter. l.1.q. can. cap.27. num.24 Lancel. inst. jur. can. l.2. t. de pœn. & remiss. verb. Proprio sacerd. Jac. Sbrozius l. 2. de vicario Episc. qu. 14. num. 2. Margarita confess. fol. 11. init. ante §. Nota quod quando. Atque ita juxta hanc sent. dicendum esse, posse assistere matrimonio, in tota illa diœcesi.

2 Sed *Pal.4.dub.17.q.4.a.2.concl.8.num.8 D.Ant.4.p.t.17.c.5. paulo post princ. Sylv. Confess.1.q.4. Tabiena Absol. 1. n.39.* hoc explicant sic: quando archipresbyteratus est quædam præbenda, cui ex officio esset annexum audire confessiones omnium diœcesis illius, tunc esset proprius sacerdos, & ordinarius in tota illa: secus quando hoc non habet ex officio, sed ex Episcopi commissione: tunc enim delegationi standum esset. Et ipsemet *Sylv.* referens Paulum, Zenzelinum, & Stephanum, *Excomm. 7. casu 15. dub. 11. n.31.* dicit non esse tutum, ut possit archipresbyter dare licentiam religiosis ministrandi Sacramenta. Unde dico forsan, olim fuisse archipresbyteros tam ampiam potestatem habentes: modo tamen non video hujusmodi usum, sed tantum ut archipresbyter, & parochus Ecclesiæ cathedralis possit ministrare sacramenta in sua parochia: & subinde nisi esset alicubi archipresbyter deputatus, ad quem possent omnes de diœcesi sacramenta recipiendi gratia confluere, non potest assistere matrimonio in tota diœcesi, sed solum in sua parochia.

DISPUTATIO XXVIII.

Quis censeatur ordinarius, qui possit assistere matrimonio, & alii licentia assistendi dare, ultra proprium parochum?

SUMMARIUM.

Ordinarius est ad hoc Episcopus in sua diœcesi, & Archiepiscopus in sua, num. 1.
Proponuntur argumenta ad probandum posse Archiepiscopum conjungere matrimonio subditos suffraganei, num.2. Et contrarium decernitur, solvunturque argumenta, 3.
Quid, si Episcopus nolit matrimonio conjungere aliquos, an Archiepiscopus, ad quem appellatur, id possit, vel alii sacerdoti licentiam dare, etiam antequam sententia transeat in rem judicatam, pendentique decemdio ad appellandum concessa, nu. 4. & ibi, quid, si Episcopus lite mota aliquos vellet matr. conjungere, & pars adversa appellaret, pendentique appellatione illos conjungeret, vel alii sacerdoti licentiam conjungendi concederet, an valeat matrimonium.
Capitulum sede vacante an possit interesse matrimonio, vel alii licentiam dare, 5.
Quid de abbatibus, nu. 6. Et ibi, an possit Episcopus confessores exponere pro his abbatiis, vel interesse matrimonio in illis, aut dare licentiam assistendi.
Quid de Cardinalibus in Ecclesia sui tituli, & quam jurisdictionem in ea habeant, 7.
Quid de legato Pontificis in tota suæ legationis provincia. n. 8. & ibi, an possit omnia, quæ Episcopus in sua diœcesi. Et potestas legati a latere, & non a latere, in quo distent.

1 PRima conclusio, potest Archiepiscopus in sua diœcesi, & similiter Episcopus in sua. Conclusio est certissima: quia sunt Ordinarii, & parocho superiores.

2 At difficultas est, an possit Archiepiscopus assistere matr. subditorum Episcopi suffraganei. Videtur enim posse, quia habet jurisdictionem ordinariam totius provinciæ: ut docet *gloss. cap. Per singulas, verb. Totius 9.q.3.* sed sat est ut assistat Ordinarius, ergo potest Archiepiscopus. 2. Quia ea assistentia non est actus jurisdictionis, nec exigit in parocho actualem jurisdictionis usum, sed sat est habitualis jurisdictio, quamvis usus impeditus sit, ut contingit in parocho excommunicato: (ut diximus hoc 3.l.disp.21.n.4.) sed Archiepiscopus habet habitualem jurisdictionem, quamvis usum alligatum, respectu diœcesis suffraganei: teste *gl. cap. Pastoralis, in principio, verb. Exceptis, de officio Ordinarii*: ergo potest assistere matrimonio.

3 3 Secunda tamen conclusio sit, Archiepiscopus nequit assistere matrimoniis subditorum suffraganei. Quia non est ordinarius ipsorum, nec habet jurisdictionem, nisi in causis per appellationem devolutis ad ipsum, & in aliis casibus singularibus: juxta *d. cap Pastoralis in princ.* ubi omnes notant. Sic *Enriq. l.11. de matr. c.3. n.5. Petr. de Ledesm. de matr. q.45. art.5 punct. 3. paulo ante dubium 4. Manuel 1.to. sum.2. edit. c.219. n.16.* Et ex jurisperitis, *Spino speculo testam. gl.15. n.39. & 40. Segura directorio judic. 2.p.c.15. num.50.* Hinc patet ad argum. proposita num. præcedenti: illæ enim glossæ asserentes Archiepiscopum habere jurisdictionem in suffraganei subditos, intelligendæ sunt, dum ad Archiepiscopum appellant.

4 Hinc infertur, Episcopo nolente aliquos matr. conjungere, causaque per appellationem delata ad Archiepiscopum, posse eum causa cognita dare licentiam cuicumque sacerdoti, assistendi matrimonio, vel ipsummet interesse. Quia negligente Episcopo jurisdictio devolvitur ad Archiepiscopum: ut tradunt

gl. c. 1. verb. Culpis de suppl. neglig. prælat. in 6. Abb. repet. c. Si quis contra clericum, n.40. de foro compet. ubi alios refert. Item quia habet jurisdictionem, causa per appellationem ad ipsum devoluta: ut dixi num. præced. Sic docent *Spino, Segura, Manuel n.3. allegati*. Quod intelligendum est, quando licentia Archiepiscopi transiisset in rem judicatam: quia pars adversa consentit, vel transactum est decemdium, in quo attento jure canonico, *c. Concertationi, & c. Non solum, de appell. in 6. & c. Cum dilectus, fi. de elect. & c. Significaverunt de testibus*, poterat appellare. Si enim non transivit in rem judicatam, nequit Archiepiscopus valide interesse, vel dare licentiam assistendi matrimonio, quando secundum jus appellationi erat locus. Quia sua sententia effectum non sortitur, nec jurisdictionem dare potest, donec transeant in rem judicatam: pendenti enim appellationis termino nihil valet, quicquid judex appellationis agit: ut expresse habetur *c. Non solum, de appell. in 6 & l.1. ff. nil nova appellat. penden.* & docet bene cum aliis *Maranta pract. 6.p.t. & quandoque appellatum, n.173. & 400.* Aliud tamen dicendum esset de Episcopo, vel Archiepiscopo in sua diœcesi, si enim aliquos lite mota vellet matrimonio conjungere, quamvis pars adversa appellaret, si de facto conjungeret, aut alter sacerdos de ejus licentia, valeret matr. quia est pastor ordinarius, & licet per appellationem ejus jurisdictio suspendatur, at cum maneat verus pastor. & ordinarius, & nec assistere, nec dare licentiam assistendi matrimonio, sit actus jurisdictionis (ut dixi hoc 3.l.disp.21 n.4. & 7.) valebit matrimonium. Archiepiscopus vero in diœcesi suffraganei, nulla ratione est ordinarius, sed tantum sortitur jurisdictionem ob appellationem, atque ita debet esse jurisdictio, juxta naturam sententiæ, quæ est, ut nihil prorsus operetur, donec transeat in rem judicatam.

III. Conclusio, capitulum sede vacante potest assistere matr. 5
vel alii sacerdoti licentiam dare. Quia succedit in omni jurisdictione ordinaria Episcopi: ut colligitur ex *c. His quæ, ad fi. & c. Cum olim, fi. de major. & obed.* ubi & omnes notant.

IV. Conclusio, potest Abbas Ecclesiæ nulli Episcopo subjectæ interesse matrimonio, & alii assistendi licentiam concedere. Quia est ordinarius, habetque jurisdictionem quasi Episcopalem: ut notant DD. *c. Joannes, de testam.* & ibi late *Covar. n.1.* Sic tenent *Enriquez l.11. de matr. c.3. n.4. Manuel. 1 to. sum. 2. edit. c.219. n.15. Petr. de Ledesm. de matr. q.45. art.5. punct.3. paulo ante dub.4. f.192. concl.3* favet *Nav. lib.4. cons. in 1. edit. tit. de spons. cons. 47. num.1. in 2. tit. de cland. de spons. cons.14. num.1.* ubi dicit, posse hoc omnes habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Non tamen posset Episcopus conjungere matrimonio subditos horum abbatum, vel aliorum habentium jurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesia nulli Episcopo subjecta: sicut nec potest confessores exponere pro illis: ut bene docet *Sylvest. Confessor. 2. quæst. 7.*

Quinta conclusio, possunt etiam Cardinales in Ecclesiis sui 6
tituli, quia habent jurisdictionem quasi Episcopalem: per *c. His quæ*, cum ibi notatis, *de majorit. & obed.* Sic *Navarrus, Enriquez, Manuel num. præcedenti allegati*.

Ultima Conclusio, potest etiam idem legatus in provin- 7
cia suæ legationis, quia est ordinarius in illa: ut expresse habetur *c. 2. de offic. legati, in 6.* 2. quia potest in provincia sibi commissa, omnia quæ Episcopus in sua diœcesi. Ut tradunt *Speculator tit. de dispensatione, §. Consequenter aliqua, n.4. & tit. de legato, §. Nunc ostendendum, n.54. & §. Nec dicamus, n.5. Anch. c. fi. de transactio nu.1. Abb. c.1. de offic. lega. num.2. & cap. Quod translationem, eodem tit. num. 9. & cap. Excommunicatis, eodem t. fi. Selva beneficiorum 2.p. quæst.3. num.2. & 4 p. qu.9. initio, Rosell. verb. Legatus; num.4.* ubi *Ang num. 4. Tabiena quæst.2. Armilla num.3. Sylv. verb. Delegatus, quæst.12. & 14. init. Greg. Lop. l.23. verb. No pueden, t.9.p.1. Gutier. q. canon. l.1.c.11. num.6. Enriquez l.14 de irregul. c.18. n.2. P. Molina t.1. de just. tract. 2. disp. 173. f.981.* ergo cum Episcopus in sua diœcesi possit interesse matrimonio, & alii sacerdoti licentiam concedere, poterit similiter legatus in sua provincia. 3. Quia qui dicitur proprius sacerdos ad excipiendas confessiones, & alii ad munus committendum, potest assistere matrim. & alii delegare, (ut dixi hoc 3. lib. disputat. 23. nu. 10.) sed nomine proprii sacerdotis, *cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remis.* comprehenditur legatus Papæ in sua provincia: ut tradunt *Hostiens. ibi, super verb. A proprio sacerdote, Joan. Andr. n. 12. Ant num.37. Card. n.5. Ancbar. nu.8. Abb. n.12. Henr. nu.28. idem Ancb. Cle. Dudum, de sepult. §. Statuimus, q.5. dub.3. vers. Sed de illis, Ripa tract. de remediis ad curand. pestem. §. Sed quia usu videmus, nu.52. Immola d. Clem. Dudum, n.34. Turrecr. c. Quem pœnitet, de pœn. d.1. a.3. num.6 & a.4. num.13. Rosella, Confessio sacramentalis 3. num.1. Ang. Confessio 3. num.3. Sylv. Confessor 1 q.1. Nav. c. Placuit, de pœn. d.6 num.62. vers. infertur & tertio, Greg. Lop. l.21. verb. Otro, t. 4. p.1. Ant. Cuc. l.5 inst. major. l.4. num 168. Gutier. l.1. q. can. c.27. num.24. Lancel. inst. juris l. 2. t. de pœnit. & remiss. verb. Proprio sacerdoti, Jac. Sbrozius l.2. de vicario Episc. q. 14. n.2.* Et ex Theolog. *Richard. 4.d.17 a.3. q.1. corpore, Enriq. l.6. de penit. c.7. n.3.* Nec audienda est *Margarita confess. f.9.* ubi dicit posse legatum audire confessiones, si hoc habeat in mandatis: ubi clare sentit id non posse ex sua potestate ordinaria, ad audiendas confessiones, & exponendum confessores, erit similiter ad assistendum matrimonio, & committendum alii, ut assistat. Et ita in propriis terminis docet *Enriq. l.11. de matr. c. 3. num. 4.* & quamvis solum loquatur de legato a latere:

O at idem

at idem est dicendum de aliis legatis Pontificis: ut constat ex DD. relatis, qui generaliter asserunt, legatos esse proprios sacerdotes ad confessiones, & posse omnia, quæ Episcopis competunt. Item, quia non tantum legati a latere, sed omnes etiam legati a Pontifice constituti, ut præsint alicui provinciæ, sint Ordinarii: ut bene docent *gl. c. 2 de offic. legati, in 6. initio, & ibi Francus initio*, per illum textum generaliter decidentem, legatum esse ordinarium. Tandem, quia potestas legati a latere, & non latere, est æqualis, præterquam circa beneficiorum collationem, & cognitionem causarum exemptarum, confirmationem Episcoporum, absolutionem excommunicatorum ob clerici percussionem in quibusdam casibus: ut tradit *gloss. c. 1. de off. legati, in 6. verb. Legati*. Cum ergo non excipiatur matrimonium, idem poterit quoad illud uterque legatus.

DISPUTATIO XXIX.

An vicarius generalis Episcopi, & aliorum habentium jurisdictionem quasi Episcopalem, sit ordinarius, ut intersit matrimonio, & alii assistendi licentiam concedat?

SUMMARIUM.

In quo versetur difficultas, & quot quæstiones disputandæ sint, n. 1.
An vicarius generalis Episcopi sit ordinarius, refertur opinio negans, num. 2. & contraria 3.
Vicarii capituli sede vacante, & aliorum habentium jurisdictionem, quasi Episcopalem, sunt Ordinarii, nu. 4. Et comprehenduntur, dum mentio fit Ordinarii, 5.
An vicarius sit ordinarius quoad ea, quæ non competunt sibi ex officio vicarii, sed specialiter sibi committuntur: referuntur duæ sententiæ, nu. 6. & 7. Et sententia auctoris. 8.
Quod de uno connexorum dicitur, ad aliud extenditur, & dignius trahit ad se minus dignum num. 8. Et quis possit conferre jurisdictionem ordinariam, n. 8. junct. n. 2.
Explicatur c. Romana, de appellation. in 6. quando non liceat a vicario ad Episcopum appellare, 9.
An vicarius Episcopi foraneus, sit ordinarius, 10.
Quis dicatur vicarius generalis, & quis foraneus, 11.
An appelletur a vicario foraneo ad Episcopum, 12.
Solvuntur argumenta, n. 13. & explicatur, quæ ratione, cum potestas vicariis ordinaria sit, extinguatur morte Episcopi. Post num. 13. invenies alia summaria.

1 CUm solus parochus, vel ordinarius possit interesse matrim. vel id committere: juxta *Trid. sess. 24. de matr. c. 1.* & cum etiam hoc 3. l. disp. 23. nu. 10. dixerimus, eumdem esse proprium Sacerdotem ad hoc, qui talis est ad audiendas confessiones & exponendum confessarios: decisio hujus quæstionis præmittenda est. Quare triplex quæstio disputabitur. Prima, an sit ordinarius, vel delegatus. II. an ex officio possit audire confessiones, & exponere confessarios. III. an similiter possit assistere matrimonio, & id committere.

2 Quæstio I. An vicarius generalis Episcopi, sit ordinarius: Aliqui negant, dicentes esse delegatum. Ducuntur, quia hoc distat inter jurisdictionem ordinariam, & delegatam: quod illa mortuo concedente adhuc permanet; hæc autem, si res est integra, extinguitur *c. Gratum, & c. Relatum, c. Licet undique, de offic. deleg.* sed jurisdictio vicarii, morte Episcopi extinguitur: ut dicam disp. sequenti: ergo non est ordinaria. 2. quia ordinarius propria jurisdictione utitur, in quo distat a delegato, qui propria carens vice fungitur delegantis: *l. 1. §. Qui mandatam, ff. de offic. ejus*, ibi, *Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur*: & *l. Solet. ff. de jurisdict. omn. jud.* sed vicarius Episcopi, ejus vices gerit: ut constat ex *c. Rom. initio, de appell. in 6.* ibi, *eorum vices supplendo, cognoscunt*: ergo non est ordinarius. 3. quia ordinaria jurisdictio non potest ab Episcopo concedi, ut docet *gl. c. 2. verb. Statuuntur, ne prælati vices suas*, & constat ex *c. A judicibus, 2. q. 6.* ibi, *Ordinarii vero sunt, qui ab apostolico, ut Ecclesiastici, vel ab Imperatore, ut seculares legitimam potestatem accipiunt*. Idem habetur *l. Et quia ff. de jurisd. omn. jud. & l. 21. tit. 4. p. 3.* Qua ratione *Specul. t. de offic. ord. §. Videamus quis dicatur, n. 5.* dicit, archidiaconum constitutum ab Episcopo, non esse ordinarium; quia solius principis est ordinarium constituere: sed vicarium constituit Episcopus: ergo non est ordinarius. Quod si dicas, institui ab Episcopo, canone sic permittente, canonem autem jurisdictionem ordinariam conferre. Contra, quia vicarius non habet jurisdictionem immediate a canone, sed mediante Episcopi institutione: ergo non est ordinarius: alias omnis delegatus esset ordinarius, cum instituatur ab ordinario, permittente canone. 4. quia Episcopus habet jurisdictionem ordinariam, ergo in persona vicarii nequit eadem jurisdictio consistere, cum vulgatum sit juris principium, non posse dominium apud duos in solidum consistere, *l. si ut certo §. Si duobus vehiculum ff. commodati l. 3. §. Ex contrario ff. de acq. possess.* validum est autem arg. de jurisdictione ad dominium, & possessionem, *l. Qui furere, ff. de statu hom.* Hanc sententiam videtur tenere *gl. c. Perlectis, vers. Et jurgia fi. d. 25.* ubi concludit, solum Episcopum esse ordinarium in sua diœcesi *& c. 2. v. Statuuntur, ne prælati vices suas*: ubi ait non posse Episcopum creare judicem ordinarium: idem tenet *Goffred. summ. t. de offic. vicar. num. 2. Alciat. rub. de offic. ord. num. 24. Anast. Germonius tract. de indultis. §. Tibi quod vixeris, num. 85. Soto 4. d. 18. q. 4. a. 3. vers. Circa concessiones. Ant. Gomez in bulla cruciata c. 4. circa 4. q. nu. 21.* & dubitat cogitandum relinquens *Paulus ab Oriano, rubr. ff. de officio ejus cui mand. est jurisd.*

Sit tamen 1. conclusio, vicarius generalis Episcopi habet jurisdictionem ordinariam. Prob. 1. jurisdictio concessa a canone, vel lege, est ordinaria: ut probant textus relati in 3. arg. contrariæ sent. n. præced. at quamvis Episcopus constituat vicarium generalem, non tamen ei confert jurisdictionem, quam habet, sed a canone tribuitur: ut constat ex *c. 2. de offic. vicarii, in 6.* ergo ejus jurisdictio est ordinaria. 2. a delegato appellatur ad delegantem, *c. Super quæst. §. Porro de offic. deleg.* sed a vicario generali Episcopi, non appellatur ad Episcopum, *c. Romana, de appel. in 6. & c. 2. de consuet. in 6.* ergo est ordinarius: alias appellaretur ad Episcopum delegantem. 3. quia eadem est jurisdictio Episcopi, & vicarii, idemque tribunal: ut asseritur *d. c. Romana & d. c. 2.* ubi etiam subjungitur ratio, cur non appelletur a vicario ad Episcopum, ne ab eodem ad se ipsum appelletur: ergo est ordinarius. Tandem quia vicarius interponit decretum in alienationibus rerum minorum, & emancipationibus, ut habetur expresse *l. fi. C. de offic. ejus qui vicem*: quæ tamen delegari minime possunt *l. 2. ff. de offic. ejus & l. Nec quicquam, §. Ubi decretum ff. de offic. proconf.* ergo vicarius non est delegatus. Hanc tenent *gl. l. fin. verb. Rectorum, C. de offic. ejus qui vicem, & c. 2. de offic. vic. in 6. verb. Officialem, & c. Romana, initio, verb. Generaliter, de appell. in 6. Archid. c. 1. init de off. vic. in 6. & c. Non putamus, fin. de consuet. in 6. Specul. de offic. ord. init. n. 2. & ibi Jo: Andr. verb. Verius est, idem Jo: And. c. Ne aliqui, n. 8. de hæret. in 6. & c. 2. Ne prælat. vices suas, n. 2.* ubi etiam *Host. super verb. Sustinuerit, & idem Host. c. Sua nobis, super verb. Jurisdictio, de off. vic. & c. Romana, eod. t. in 6. super verb. officialem, & sum. t. de offic. vic. init. n. 2. vers. In utraque, Innoc. c. Sua nobis, init. verb. Jurisdictio, de offic. vic. & d. c. Romana, ad fin. Ant. d. c. Sua nobis, n. 8. & c. Quoniam de off. ord. n. 16. Abb. c. Relatum, n. 8. de offic. deleg. & c. 2. Ne prœl. vices suas, & c. Si quis contra clericum, n. 29. de foro comp. & c. Decernimus, nu. 12. de judiciis, Dom. c. Romana, in princ. n. 5. appell. in 6. & c. 2. de off. vic. in 6. n. 6. ad fi.* ubi *Anch. n. 2. q. 1. & Franc. n. 4. Alex. de Nevo c. Cum duobus, n. 15. de sent. & re jud. Bald. c. Si instrumenta, n. 3. de fide instrum. & l. A proconsulibus, n. 1. C. de appel. Decius rub. de offic. deleg. n. 3. & ibi Berojus, n. 2. & 8. idem Berojus rub. de appel. n. 24. & cons. 22. n. 34. vol. 1. Bonif. Clem. 1. nu. 18. jurejur. Bart. l. 1. fi. ff. quis, & a quo appell. Alber. l. Relationes, fi. C. de offic. vic. Fab. inst. de mandato, §. Item si adhuc n. 5. Alex. ff. de offic. ejus cui mand. in rub. nu. 15. & 17. & l. More, n. 43. ff. de jurisd. omn. jud. Ang. l. Præcipimus, in pr. C. de appell. Jas. rubr. ff. de offic. ejus cui mand. n. 2. Felin. rub. de offic. deleg. n. 4. Bertach. in repert. lit. V. verb. Vicar. vers. Vicar. Episc. & tr. de Episc. l. 4. p. 7. num. 1. Corras. de benef. c. 8. n. 3. Hier. Lancus di differ. iur. civ. & can. differ. 1. n. 165. Jac. de S. Georg. de feudis, §. Vicariusque num. 2.* habetur *t. 10. tr. noviorum p. 1. Rodoanus de reb. Eccl. non alien. rub. 30. casu n. 59* habetur *t. 15. eorumdem tr. p. 1. Aretin. inst. de except. rub. nu. 7. Selva benef. 2. p. q. 14. n. 14. Pavinus de offic. cap. sed vacante, 2. p. princ. q. 1. nu. 7.* habetur *t. 13. eorumdem tr. p. 2. Roma sign. 58. nu. 4. Soc. l. More nu. 13. ff. de jurid. omn. jud. Caleph rubr. de offic. ejus, num. 48. Ant. de Pretis tr. de juris. Episc. c. 6. n. 44. Corras. l. 3. miscell. c. 19. nu. 12. Millis in repert. v. Vicar. sive offic. Episc. Afflict. const. Neap. l. 1. rub. 59. num. 12. Rebuf. prax. benef. t. de vic. num. 6. Cacialup. l. More, nu 25. ff. de juris. omn. jud. Franc Marc. q. Delphin. 317. nu. 5. p. 1. Bello. l. 1. supputationum juris, c. 11. num. 3. Octavius l. 3. pract. c. 3. num. 2. Foller. pract. crim. can. 1. p. moral. n. 119. Caballinus ad const. Ægydii l. 3. c. 17. n. 1. Roland. cons. 46. num. 28. vol. 1. Bolognetus rub. ff. de offic. ejus, nu. 58. Sylv. excomm. 7. casu 14. dub. 11. nu. 39. & verb. Vicarius qu. 4. dict. 1. Tab. verb. Delegare, qu. 1. num. 2. & verb. Vicarius, qu. 5.* ubi *Armill. num. 5. Maran. pract. 4. p. d. 5. principali, an judicium sit ordinarium num. 13. Mandos. regul. 14. Cancellariæ, q. 6. nu. 8. Nav. l. 4. cons. in 2. edit. t. de cland. despons. cons. 14. num. 1. in 1.* vero *t. de sponsalib. cons. 47. num. 1. Cov. 3. var. c. 20. num 4. Greg. Lop. l. 2. verb. E estos, t. 4. p. 3. Molin. l. 1. de primog. c. 25. num. 13. Corrad. in templo jud. l. 2. c. 6. §. 1. num. 11. Ant. Cucus l. 2. inst. major. t. 8. num. 15. Jac. Sbrozius l. 2. de vic. Episc. quæst. 55. num. 9. Mascard de probat. concl. 1412. num. 9. & 22. Ugolin. de censuris, tab. c. 1. §. 20. num. 6. Flamin. de resign. benef. l. 3. q. 11. num. 23. & l. 7. q. 24. num. 25. Paz pract. to. 1. p. 1. tempore 1. num. 6. Petr. Greg. Syntagm. juris p. 2. l. 15. c. 41. num. 3. Gutier. q. can. l. 1. c. 19. n. 15. vers. Nihilominus, & c. 11. nu. 8. Segura 2. p. direct. jud. c. 16. num. 3. Azebed. l. 3. recop. t. 9. l. 1. num. 7. Salzedo pract. cap. 73. ad fin.* Et de vicario prætoris affirmant idem *Avil. c. 4. Prætorum, verb. Justitia, num. 4. Avend. in c. Prætor, 1. p. c. 3. num. 2.* Et ex Theologis, *D. Ant. 3. p. t. 19. cap. 10. §. 2. Enriq. l. 9. de pœnit. c. 7. num. 3. in comment. lit. L. & c. 13. nu. 3. in comm. lit. M. & l. 10. de sacram. ordinis cap. 22. num. 3. in comment. lit. P. Manuel 1. tom. summ. 2. edit. cap. 219. num. 15. Lud. Lop. 1. part. instruct. 2. edit. cap. 284. fol. 793.* 3

Idem dicendum est de vicario capituli sed vacante, est enim ordinarius: cum a canone habeat eamdem jurisdictionem, quam Episcopi vicarius. Sic *Pavinus de potestate c. sede vac. 2. p. principali q. 10. num. 8. & 9. Jac. Sbrozius l. 2. de vic. Episc. q. 55. num. 31. Enriquez l. 6. de pœnit. cap. 31. num. 3. in comment. lit. M.* Et idem dicendum est de vicario generali habentium jurisdictionem episcopalem: est enim ordinarius, cum eamdem habeat a canone jurisdictionem, quam vicarius Episcopi. Sic *Ant. Cucus l. 2. instit. major. t. 8. n. 156.* 4

Ex

5 Ex dictis infertur, quoties in aliquo decreto mentio fit Ordinarii, nisi subjecta materia aliud poscat, intelligi non tantum Episcopum, sed etiam omnes habentes jurisdictionem ordinariam. Quia omnes illi, Ordinarii sunt. Sic *gl. c. Ordinarii, verb. Locorum, de offic. ord. in 6.* ubi *Francus nu. 3. idem Franc. c. 2. constit. in 6. nu. 7.* ubi *Domin. nu. 3. Abb. c. Cum olim, de præscrip. n. 2. Immola c. de monachis, n. 5. vers. Item adverte, de præb. Dec. c. Post cessionem. nu. 1. & 6. de prob. Sylvest. Excom. 9. casu 47. nu. 92. notab. 2. vers. Sed adverte, Nav. l. 4. cons. in 2. edit. t. de spons. cons. 5. n. 2. Gutier. q. can. l. 1. c. 19. n. 15. vers. Nibilominus, Flam. de resign. benef. l. 3. q. 11. nu. 19. & seq.* Unde nomine Ordinarii comprehenditur vicarius Episcopi, cum vere ordinarius sit. Sic *Nav. Gut. & Flamin. ibi*, addens quoties in Tridentino mentio fit Ordinarii, comprehendi vicarium Episcopi. Idemque dicendum est de vicario capituli sede vacante, aliorumque habentium jurisdictionem episcopalem, cum vere ordinarius sit: juxta dicta nu. præced. Quare non est audiendus *Bolognetus rubr. ff. de offic. ejus, nu. 55. fin.* ubi ait quamvis vicarius habeat ordinariam jurisdictionem, non dici Ordinarium, sed esse medium inter Ordinarium, & delegatum. Cujus contrarium constat ex dictis, & ex iis quæ tradidi hoc 3. l. disp. 7. nu. 10. ubi probavi posse vicarios hos dispensare in denunciationibus: quia Tridentinum id committit Ordinario, cujus nomine hi comprehenduntur.

6 Gravis autem est difficultas, an non tantum vicarius sit ordinarius, quoad ea, quæ ipso jure, ex officio vicarii sibi competunt, sed etiam quoad ea, quæ sibi ab ipso Episcopo committuntur, quæ ex officio vicarii non competebant? Quidam dicunt quoad hæc esse delegatum; quia ea habet ex sola Episcopi commissione, qui jurisdictionem ordinariam conferre nequit: ut probavi n. 2. Sic *gl. c. 2. de off. vic. in 6. verb. Officialem, Berojus rub. de offic. deleg. n. 2. & 26.* ubi *Felin. n. 4. Francus d. c. 3. n. 4. Maranta pract. 4. p. d. 5. principali, an judicium sit ordinarium. n. 16. Tabien. verb. Delegare. q. 1. n. 2. Ant. Cucus l. 2. institut. major. t. 8. n. 17. & 112.*

7 Alii vero asserunt, sive simul in vicarii institutione, sive diverso tempore commissio alicujus casus fiat, si addatur clausula generalis, totam commissionem esse ordinariam: quia universalis causarum commissio ordinarium constituit, *l. Cum prætor, §. 2. ff. de judiciis*: si vero non addatur clausula generalis, esse delegatam. Sic *Lupus c. 2. de officio vicarii, in 6.* ubi *Anchar. n. 2. quæst. 1. Domin. num. 9.*

8 Verius autem sic distinguendum est: si Episcopus unica commissione, dum constituit vicarium, committat illi aliquem, aut aliquos casus: est vicarius ordinarius etiam quoad casus commissos, per *c. Translato, de const.* ibi: *quia simul, & ab eodem, & sub eadem sponsione, utraque data sunt: quod de uno dicitur, necesse est, ut de altero intelligatur*. Unde colligunt scribentes, quod de uno connexorum dicitur, ad alterum extendi: ergo cum hæc potestas simul ab eodem conferatur, sicut principalis est ordinaria, sic erit ei connexa. Item, quia dignius trahit ad se minus dignum, *c. Quod in dubiis, de consecr. Eccles.* ergo jurisdictio ordinaria, quæ dignior est, trahit ad se delegatam, minus dignam. Quare licet Episcopus nequeat absolute conferre jurisdictionem ordinariam, at quando simul, & semel cum jurisdictione ordinaria commissionem facit, quæ deberet esse delegata, illa ordinaria tanquam dignior trahit ad se alteram, ut tota ordinaria censeatur; Si autem divisim, & seorsum committantur illi casus, est jurisdictio delegata: præterquam si in commissione fiat expressa mentio vicariatus, si enim fiat, sive in salutatione, sive in progressu, ut tali officiali nostro, vel vicario committimus, aut potestatem alias per nos commissam extendimus: tota jurisdictio erit ordinaria. Quia datur tamquam annexa, & accessoria ordinariæ, & ideo ad illius tanquam principalis, & dignioris naturam trahitur. Sic *Joan. Andr. addit. ad Spec. t. de offic. vic. in princ. vers. Dubitari videtur, si Episcopus officiali suo. Berojus cons. 22. nu. 14. vol. 1. Jac. Sbrozius de vic. episc. l. 2. q. 55. n. 39.*

9 Hinc infertur intellectus ad *c. Romana, de appell. in 6.* ubi dicitur, a vicario generali non appellari ad Episcopum, intelligitur enim, in iis, quibus est ordinarius: nam quando est delegatus Episcopi, appellatur ab ipso ad Episcopum delegantem: juxta *c. Super q. §. Porro, de offic. deleg.* Et ita docent *Anchar. c. 2. de offic. vic. in 6. n. 2. vers. Primo quæro, Franc. ibi, n. 4. Maranta pract. 4. p. d. 5. principali, an judicium sit ordinarium, vel delegatum, n. 16. Ant. Cucus l. 2. instit. maj. t. 8. n. 13. & 126. Jac. Sbrozius de vicar. Episcopi. l. 2. q. 55. fine.*

10 II. Concl. Vicarius foraneus est delegatus. Probatur, quia non habet jurisdictionem aliam, quam concessam sibi ab Episcopo, at Episcopus nequit jurisdictionem ordinariam concedere, & ita tenent omnes DD. At difficultas est, quando hic vicarius foraneus constituitur ad universitatem causarum? Aliqui enim dicunt posse dici, si hic vicarius foraneus constituatur in certa diœcesis parte, ad universitatem causarum illius loci; esse ordinarium, constituereque idem cum Episcopo tribunal. Quia ad hoc non attenditur generalitas loci, sed causarum commissio. Sic quædam glossa, ut referunt, & sequuntur *Sylv. verb. Vicarius, q. 4. D. Ant. 3. p. t. 19. c. 10. §. 2.* Dicendum tamen est adhuc esse delegatum. Quia non habet jurisdictionem a jure, sed ab Episcopo. Sic docent *Bart. l. un. fi. ff. quis, & a quo, Cardin. Clem. 2. de rescrip. q. 24. Abb. c. Relatum, n. 8. de off. deleg. Alex. de Nevo c. Dilecti, el 3. num. 28. de appell. Felin. c. Super q. §. Si vero, num. 17. de offic. deleg. Rebuff. praxi benef. t. de vicariis episc. n. 6 Maranta pract. 4. p. d. 5. principali, an judicium sit ordinarium, n. 8. Tabiena verb. Delegare, qu. 1. n. 2. Cov. pract. c. 4. n. 8. Paz pract. 2. tom. prælud. 3. n. 5. Ant. Gabr. tom. 2. commun. in mea edit. l. 19. verb. Vicarius perpetuus, f. 454 Jac. Sbrozius l. 1. de vicario Episc. q. 22. n. 7.*

Rogabis autem quis dicatur vicarius generalis: Respondeo, eum esse, qui gerit vices Ordinarii constituentis in eodem loco, & tribunali, in quo consuevit ipse ordinarius jus dicere. Sic *Bart. Rebuff. Marant. Cov. alleg. n. præced. Ant. Cuc. l. 2. inst. maj. t. 8. n. 131 Jac. Sbroz. l. 1. de vic. Episc. q. 28. num. 7.* Quod sic explicat *Cov.* hoc est, qui locum tenet Ordinarii, habens ab eo commissam jurisdictionem. Quare si vicarius constituatur in aliqua parte speciali diœcesis, licet sit in sola civitate, in qua residet Episcopus, non erit generalis, sed foraneus & delegatus. Sic *Card. Clem. 2. de rescrip. n. 3. Jac. Sbrozius l. 1. de vic. Episc. q. 23. n. 4. & q. 29. nu. 1. & 2.* ubi alios refert: qui consulendus est *q. 25. num. 4.* ubi contra alios, defendit esse vicarium generalem, quando tantum in spiritualibus constituitur: & *q. 26.* similiter contra alios, tuetur esse generalem, quando in solis temporalibus. 11

Ex dictis infertur, minus bene *Anast. Germonium de indultis Cardinalium, §. Tibi quoad vixeris, n. 88. & l. 1. animad. c. 7.* negare appellari posse a vicario foraneo ad episc. Cum enim sit episcopi delegatus, potest ab ipso ad episc. appellari, juxta *cap. Super quæstionum, de offic deleg.* Et docent *gl. Clem. 2 de rescrip. v. Foraneo*, ubi *Card. q. 24. Immola n. 32. Host. c. Rom de offic. vic. in 6. init. & ibi In ad fi. Alex. de Nevo c. Dilecti, el 3. n. 28. de appell. Carder. cons. 2. de appell. Abb. c. relatum, num. 8. de offic. deleg. Bart. Rebuff. Cov. ubi eos n. 10. retuli: Mar. pract 4. p. d. 5. principali, an judicium sit ordinarium n. 15 Ant. Cuc. l. 2 inst. maj. t. 8. num. 14. Jac. Sbrozius l. 1. de vic. episc. q. 23. n. 6. Enriq. l. 11. de matr. c. 5. n. 5.* 12

Ad arg. prioris sent. proposita n. 2. respond. Ad 1. dico, majorem esse veram, quando jurisdictio ordinaria non cohæreat alteri ordinariæ tanquam accessoria: tunc enim non extinguitur morte concedentis: secus quando cohæret alteri ordinariæ tanquam accessoria: ut cohæret jurisdictio vicarii jurisdictioni episcopi, tunc enim extincta principali per mortem Episcopi, extinguitur accessoria vicarii. Ad 2. dic vicemgerentem alterius in diverso tribunali, esse delegatum: secus quando ita vices gerit, ut constituat idem tribunal: & ita contingit in Episcopo, & vicario ejus generali, constituunt enim idem tribunal, *c. Romana, de appell. in 6.* Ad 3. nego minorem: nam quamvis Episcopus constituat vicarium, at eo ipso quod constituitur, jus confert ipsi potestatem, quam habet. Et ad replicam dico, vicarium habere immediate a canone jurisdictionem, ad hunc sensum, quod supposita nominatione, seu institutione Episcopi, canon dat jurisdictionem: unde non mediat episcopus, quasi dans jurisdictionem, sed quasi nominans, & instituens: at quando Episcopus vicarium foraneum instituit, nullam prorsus habet a jure jurisdictionem, sed solam habebit, quam Episcopus contulerit. Ad 4. dico id esse verum, quando eadem jurisdictio æque principaliter apud duos esset: at jurisdictio est principaliter in Episcopo, qui ratione dignitatis consequitur jurisdictionis dominium: in vicario vero est accessoria, & quasi exercitium dominii consistentis in persona Episcopi. 13

SUMMARIUM.

An possit vicarius generalis Episcopi audire confessiones, & exponere confessarios: refertur opinio negans, nu. 14.
Et contraria verior, 15.
Solvuntur arg. n. 16. & explicantur c. 2. de offic. vicarii, in 6. & Trid. sess. 23. c. 15. de reform. Et ibi junct. n. 14 dum conceditur aliquid diœcesano in aliquo decreto, an intelligantur nomine diœcesani non solum Episcopus, sed omnes habentes jurisdictionem quasi episcopalem: & nomine Episcopi an includatur ejus vicarius. Et explicatur idem Trid. sess. 25. c. 3. de reform. an possit vicarius Episcopi concedere litteras excommunicationis pro rebus deperditis.
Post nu. 16. invenies alia summaria.

QUæstio secunda, an possit vicarius generalis Episcopi ex officio audire confessiones omnium de diœcesi: & concedere aliis licentiam audiendi, vel sit necessaria specialis commissio? Duplex est sent. I. ait non posse concedere facultatem audiendi confessiones nisi specialiter sibi committatur. Prob. quia ex officio vicarii, tantum habet jurisdictionem in contentiosis, & in causis civilibus: ut constat ex *c. 2. de off. vic. in 6. 2.* quia *Trid. sess. 23. c. 15. de refor.* expresse statuit, ut nullus possit audire confessiones, nisi approbatus ab Episcopo: ergo ejus vicarius non potest hanc licentiam dare. Et confir. quia magis proprium, & specificum nomen Episcopi est, Episcopus, quam Diœcesanus, sed Concilio dicente nullum posse audire confessiones, nisi approbatum a diœcesano: non comprehenderentur nomine diœcesani, abbates, & alii prælati inferiores habentes jurisdictionem episcopalem: ut tradunt *gl. Clem. 1. de jure patron. verb. Diœcesanis, ubi Card. in prin. q. 5. n. 4. Immol. n. 3. init. idem gl. Clem. 1. de vita, & honest. cler. verb. Diœcesanis, & ibi Card. init. q. 1. Bonif. ibi n. 24. & 25. Immola n. 24. & c. de monachis de præben. n. 5. vers. Item adverte, Abb. c. Cum olim, n. 2. de præscrip. Francus c. Ordinarii, n. 3. vers. In gl. secunda, de offic. ord. in 6. Sylv. Excom. 9. causa 47. notab. 2. vers. Sed adverte, n. 92.* 14

Navar.